medio tempore geſti: ergo valebit hoc ſecundum matrimon. 2. Quia in his quæ pendent a mera voluntate, ſtamus ultimo actui: ut in procuratore, *c. Si quem, de procurat. in 6. & in teſtam. §. Poſteriore, inſt. Quibus mod. teſtam. infirm.* Sed contracto priori matrim. conditionali, liberum eſt ab eo recedere, ſaltem ut valeat ſecundum, quamvis recedens peccet; ergo. Ita tenent quidam DD. ut refert *Præpoſ. c. 1. de condit. appoſ. n. 2. in ſecunda opinione: Et Petr. de Ledeſ. de matrim. q. 47. art. 5. dub. 1. concluſ. 4. quod movet poſt 7. dub. princip. fol. 252.*

14 Alii vero cenſent eſſe locum optioni alterius matrimon. Probant per *l. Viduæ 18. C. de nupt.* Sic tenent aliqui, quos refert *ibid. Præpoſ. nu. 2. in 3. opinione.*

15 Sed verius eſt, neutrum matrim. valere. Quia incertitudo vitiat matrim. *c. Ex litteris, el 2. de ſponſal.* ubi hoc communiter notant Doctores. Et patet etiam ex *regul. ubi repugnantia 148. ff. de regul.* ibi, *ubi repugnantiæ inter ſe in teſtamento invenirentur, neutrum ratum eſt.* Sed hoc matrim. incertum eſt, quia cum conditio trahat conſenſum ad tempus impletæ conditionis, quæ ſimul impletur, perinde eſt, ac ſi in eodem tempore ſimul cum duabus contraheretur matrim. ſic docent *Calderinus, & Jacobus de Zocbis* quos refert & ſequitur relate diſputata *Præpoſ. c. 1. de condit. appoſ. fin. & ibi Alex. de Nevo, n. 5. Roſella Matrim. 5. n. 7. Angel. Matrim. 3. imped. 3. num. 6. Silveſt. Matrim. 3. q. 6. Adrian. 4 qu. 3. de matr. dub. 1. Greg. Lop. l. 3. verb. Si me dieres, tit. 4. p. 4.*

16 Hinc fit, ſi aliquam illarum citius impleſſet conditionem illud eſſe matrim. Quia utrumque pendebat ab eventu conditionis: ergo illud prævalebit, & perficietur, cujus prius conditio impleta fuerit. Ita *Silveſt. & Angel. ibi.*

17 Quando autem ſunt ſponſalia cum duobus ſub prædicta conditione, vel tenendo communem ſentent. Theologorum, id matrimon. conditionale tantum habere vim ſponſalium, dicit *Petrus de Ledeſ. matrim. qu. 47. art. 5. dub. 1. quod movet poſt 7. principale concl. 1. & 2. f. 251.* ſive ſimul, ſive prius impleatur conditio ſecundi contractus ſponſalium, primum contractum ſponſalium manere validum, & obligare in ratione ſponſalium. Et probat, quia ſponſalia priora non diſſolvuntur per poſteriora, ſed non obſtantibus poſterioribus firma manent.

18 Sed dicendum eſt in neutro caſu manere validum primum contractum ſponſalium: quare ex illo minime orıretur publicæ honeſtatis juſtitia. Ratio eſt, quia primus contractus ſponſalium cum fuerit conditionalis, fuit imperfectus, donec impleretur conditio, per cujus implementum perficiendus erat, ſi contrahens non mutaſſet voluntatem: at mutavit in utroque eventu. Nam ſi ſimul impletur conditio, voluntas eſt incerta, cum æque ſit cum duabus, & ſic ratione incertitudinis vitiatur; ſi autem prius impletur conditio ſecundi contractus, perinde eſt, ac ſi ſecundus pure fuiſſet initus: & ſic manifeſta eſſet revocatio prioris voluntatis. Fateor tamen in eventu, quo prius impletur conditio ſecundi, teneri ad expectandam eventum conditionis primi contractus, & ea eveniente teneri ad illum: & ſimiliter quando ſimul utraque conditio evenerit, teneri ad priorem contractum, non in ratione ſponſalium. Quia quando erant perficienda, erat mutata voluntas, ſed ratione promiſſionis, cui non potuit derogare per ſecundam promiſſionem.

19 Ad duo argum. prioris ſent. propoſita n. 12. reſp. utrumque procedere, quando non eſſet in poteſtate gerentis poſteriorem actum, tollere priorem: nam ſi eſſet in poteſtate, per poſteriorem actum revocare priorem, revocaret utique. At dum matrim. prius eſt conditionale, neque impleta eſt conditio, poteſt contrahens valide revocare, quamvis peccet: cenſetur autem revocare, quando vel prius impleta eſt conditio ſecundi matrim. quia tunc manet ſecundum, purum, & incompatibile cum priori. Vel quando utraque conditio ſimul impletur, ratione incertitudinis, deberet cum eſſet matr. cum utraque. Ad argumenta ſecundæ ſententiæ, propoſita n. 23. reſpondetur. Ad 1. dico: diſtinguendam eſſe minorem, quando poſterius matrim. eſſet abſolutum, vel promiſſio abſoluta contrahendi recederet a priori voluntate. Quia eſt incompatibile abſolute contrahere matrim. vel promittere contrahere, cum matrimonio conditionali cum alia inito. At quando utrumque matrimon. eſt conditionale, cum utrumque ſit imperfectum, & pendeat ex futuro conditionis eventu, non eſt incompatibilis hæc voluntas, ſed perficietur id matrimonium, cujus conditio primo evenerit: quare *l. illa finalis*, manifeſte loquitur, de matrimonio, vel ſponſalibus abſolutis. Ad 2. dico antecedens eſſe verum, quando licitum eſſet partibus ſola voluntate recedere ab actu priori, ut contingit in teſtamentis, & conſtitutione procuratoris. Item quando actus ſunt in ſe incompatibiles, at a priori matrimonio conditionali, non licet ex mera voluntate recedere, & utrumque matrim. conditionale, eſt compatibile: ut probavimus. Et per hoc patet ſolutio ad tertium. Ad argumentum tertiæ ſententiæ propoſitum n. 14. dico, textum illum procedere, quando nullum eſt vinculum contractum, ſed voluntas habet liberam electionem, & quando nulla eſt repugnantia in voluntate: at in noſtro caſu non eſt voluntas libera, ſed tenetur ſervare priorem contractum conditionalem, antequam eveniat conditio poſterioris: ſi autem ſimul utraque conditio concurrat, eſt repugnantia in voluntate, ratione incertitudinis. Ad argum. propoſitum, nu. 17. probans quando duo ſponſalia conditionalia contracta ſunt, manere obligationem priorum, in ratione ſponſalium, &c. dico quando priora ſponſalia pure contracta ſunt, cum jam ſint perfecta, nullo modo poſſe derogari per poſteriora illis: ſecus quando imperfecte ſub conditione, contracta ſunt: tunc enim poteſt illis derogari per poſteriora, ad hunc ſenſum, ut non obligent in ratione ſponſalium. Quia quando erant perficienda per adventum conditionis, mutata erat voluntas: non tamen poteſt derogari, ut non obligent in ratione promiſſionis, ac ſponſalium imperfectorum, ac conditionalium: quia inique, & contra juſtitiam mutata eſt voluntas.

SUMMARIUM.

Contracto matrim. coram Parocho, & teſtibus ſub conditione de futuro, ſuſtinendo advenienti conditione non conſurgere matr. abſque novo conſenſu, certum eſt hunc novum conſenſum præſtandum eſſe coram Parocho, & teſtibus, licet prior coram illis habitus fuerit, num. 20.

Suſtinendo eſſe matr. abſque novo conſenſu, vel quando conditio eſt de præſenti, refertur opinio dicens poſt Tridentinum jam non eſſe locum illi opinioni, num. 21. & reprobatur, 22.

An ſit neceſſarium, ut conditio impleatur coram Parocho, & teſtibus. Refertur opinio affirmans, 23.

Contraria auctoris, num. 24. Et ibi, quando contrahitur per procuratorem, non eſt opus, ut Parochus, & teſtes videant mandatum. Et quando conſanguinei diſpenſatione Pontificia, non eſt opus, ut diſpenſationem videant.

Quid, ſi pendente conditione ſe cognoſcant affectu uxorio, an ſit matrim. etiam poſt Trident. 25.

An ſi duo conſanguinei contrahant de præſenti coram Parocho, & teſtibus obtenta diſpenſatione ſit matrim. etiam poſt Trident. num. 26. Et ſolvuntur argum. 27.

20 QUæſtio IV. An hodie poſt Tridentinum ſit aliquid immutatum circa dicta in tribus præmiſſis quæſtionibus contentis in hac diſputatione: an ſcilicet neceſſarium ſit non tantum conſenſum conditionalem de præſenti, ſed etiam verificationem conditionis, coram Parocho, & teſtibus, vel ſuſtinendo opinionem Theologorum dicentium conſenſum de præſenti ſub conditione de futuro, habere vim impleta conditione, ſolius contractus ſponſalium; manifeſtum eſt, neceſſarium eſſe advenienti conditione novum conſenſum de præſenti coram Parocho, & teſtibus præſtari: nec ſatis eſſe, conſenſum, novum occultum, vel conditionem purificari coram Parocho, & teſtibus. Quia purificata conditione adhuc ſunt ſponſalia, atque ita Parochus & teſtes ſolis ſponſalibus aſſiſterent. Et ita docent *Enriquez lib. 11. de matrim. c. 12. num. 3. Bartolom. a Ledeſ. dub. 25. de matrim. poſt 5. concl. §. Et annotare hic oportet, Lud. Lop. 2. p. inſtruct. de matr. c. 42. fol. 1081. col. 2. §. Verum in hoc caſu, & fol. 1083.*

21 Tota autem difficultas eſt, an ſententia Juriſperitorum dicentium matrimonium contractum de præſenti ſub conditione, ea impleta abſque novo conſenſu eſſe legitimum poſſit ſuſtineri, poſt *Tridentinum, ſeſſ. 24. c. 2. de matr.* Qua in re, aliqui Theologi (ut refert *Petrus de Ledeſma, de matrim. q. 47. a. 5. dub. 7. princip. §. In hac diffic. f. 246. col. 2.*) cenſent omnino eſſe improbabilem eam ſententiam: & ceſſaſſe jam per Tridentinum. Idem tenet *Perez lib. 3. ordin. tit. 1. l. 1. ad fin. §. Octavo etiam ceſſat*: unde dicunt neceſſarium eſſe, ut denuo coram Parocho, & teſtibus conſentiant, impleta ea conditione.

22 Sed hæc ſententia minus vera eſt, quia ſi Parochus & teſtes aſſiſtant contractui de præſenti, quod ex ſe erat matrimon. impleta conditione abſque novo conſenſu, juxta illam opinionem: & deinde coram ipſimet impleatur conditio: jam Parochus, & teſtes aſſiſtunt omnibus requiſitis ad matrimonii perfectionem, ac ſubinde ſervaretur forma Tridentini, quare nihil obſtaret quominus eſſet verum matrimon. impleta conditione. Sic tenent *Navar. lib. 4. conſil in utraqu. edit. tit. de condit. appoſ. conſ. 1. num. 6. Manuel 1. tom. ſumm. 2. edit. cap. 219. concluſ. 18. num. 19.* dicentes impleta conditione non eſſe neceſſarium, ut iterum coram Parocho, & teſtibus contrahant: & *Petr. de Ledeſ. d. dub. 7. concl. 4.* dicit hoc eſſe improbabile.

23 Potiſſima autem difficultas eſt, an ſi matrimonium celebretur de præſenti, ſub conditione de futuro, coram Parocho, & teſtibus, efficiatur purum, ſtatim impleta conditione, vel ſit neceſſarium, ut Parochus, & teſtes ſimul aſſiſtat impletioni conditionis. Et ſimiliter quando matrimonium eſt de præſenti, ſub conditione de præſenti, aut præterito: ut ſi coram Parocho & teſtibus aliquis dicat, Contraho tecum, ſi pater tuus conſenſit, vel modo conſentit: an ſi vera eſt conditio, ſit ſtatim matrimonium, vel ſit neceſſarium, conſtare eidem Parocho, & teſtibus purificationem conditionis de futuro, & verificationem conditionis de præſenti, aut præterito? Quidam enim cenſent eſſe certum, hoc deſiderari. Prob. quia Trident. exigit ut Parochus, & teſtes aſſiſtant vero matr. quod tale eſt ſimpliciter, & inducit vinculum indiſſolubile, ut de illo teſtificari poſſint, ſed illud matrim. conditionale, non eſt ſimpliciter matrim. nec indiſſolubile, nec poſſunt vere parochus, & teſtes teſtificari de matrim. contracto cum illud pendeat a conditionis verificatione, nec hujus verificationis teſtes ſint: ergo nullo modo eſt matrimonium. Et confirmatur, quia finis Concilii eſt, ne poſſint ſponſi ad alias tranſire nuptias, cum de prioribus minime con-

me conſtet Eccleſiæ, ſed hoc inconveniens minime ceſſat, ſi parochus, & teſtes non inter ſint verificationi conditionis: nam ea verificata in occulto, cum non conſtet Eccleſiæ ejus veritas, non conſtabit de matr. atque in eos permittet aliud inire matr. Sic dicit eſſe certum *Petr. de Ledeſ. ibid. concl. 3.* Et quamvis tantum loquatur de conditione de futuro, at ejus rationes idem omnino probant non eſſe matr. quando conditio eſt de præſenti, non tamen conſtat parocho, & teſtibus de conditionis veritate. Poteſt 2. in favorem hujus ſententię adduci, quod matr. de præſenti inter impuberes coram parocho, & teſtibus, non ſit verum matr. ſi advenienti pubertate inter ſe conſentiant: ut dixi lib. 3. diſp. 40. n. 9.

24 Negare quidem minime poſſum rationes has urgentiſſimas eſſe, & quæ convincere videntur. Verum pro contraria parte, ut ſufficiat parochum, & teſtes intereſſe illi matr. de pręſenti, ſive conditio ſit de præſenti, ſive de futuro, nec ſit neceſſarium ut præſentes ſint conditionis verificationi, quę mihi valde probabilis eſt, vehementiſſime urget: nam quando aliqui contrahunt per procuratorem, non eſt opus ut parochus, & teſtes videant litteras, in quibus continetur poteſtas procuratoris, ut praxis totius Eccleſiæ recepit, alias deberent eſſe viri docti, ut ſcirent, an ea poteſtas ſit ſufficiens, necne: at non poſſunt plene teſtificari de matrimonio, niſi ſuppoſita veritate illius poteſtatis procuratoris. Similiter quando conſanguinei contrahunt ex Pontificis diſpenſatione, non eſt opus, ut parochus, & teſtes videant diſpenſationem: cum tamen aliter nequeant plene teſtari de matr. niſi ſuppoſita veritate diſpenſationis obtentæ. Ergo ſi hoc matr. valet, valebit etiam contractum per verba de præſenti, ſub conditione, coram parocho, & teſtibus: quamvis eiſdem minime conſtet de verificatione conditionis. Præterea, quia non videtur mens Concilii, ut plene, & integre poſſint parochus, & teſtes de matr. teſtificari, ſed ut ſit teſtes conſenſus de præſenti, quamvis valor matr. pendeat ex alicujus veritatis ſuppoſitione, ut conſtat ex matr. contracto per procuratorem, in quo ut parochus, & teſtes plene teſtentur de matr. oportet ut videant poteſtatem procuratoris, & ſciant eſſe ſufficientem, nec revocatam. Similiter quando contrahunt duo pueri, qui dicunt ſe eſſe puberes, ſi vero ſunt puberes; validum eſt matr. quamvis parochus, & teſtes dubitarent eſſe impuberes, & ita non plene poſſunt teſtificari de matr. cujus valor pendet ex veritate ętatis: ergo cum in noſtro caſu vere teſtificentur parochus, & teſtes de conſenſu de præſenti, quamvis valor pendeat ex eventu conditionis: de quo non poſſunt teſtificari, valebit matr. Et confir. quia ſic ſervatur finis Concilii in eo decreto, qui eſt, ne contrahantur ſecundæ nuptiæ ſpretis primis: nam cum conſtet Eccleſiæ de illo matr. de præſenti, quamvis valor pendeat ex verificatione conditionis, nullo modo permittet eos ad ſecundas tranſire nuptias, donec plene Eccleſia diſcutiat, an impleta fuerit conditio, necne: & an receſſerint a conditione: & ſic voluerint, ut abſolute contractus valeat. Hanc ſent. videntur clare tenere *Nav. l. 4. conſ. tit. De condit. appoſ. in utraque edit. conſ. 1. n. 6. Manuel 1. tom. ſum. in 2. edit. c. 219. concl. 18. n. 19.* ubi dicunt, matr. ſemel coram parocho, & teſtibus contractum ſub conditione licita, non eſſe opus, ut poſt adventum conditionis, iterum fiat coram parocho, & teſtibus: quia adveniente conditione retrotrahitur, ac manet perfectum, ac ſi in principio factum fuiſſet.

25 Hinc infertur, ſi pendente conditione illius matr. initi coram parocho, & teſtibus, contrahentes habeant copulam, pręſumere Eccleſiam receſſiſſe a conditione, & perfici matr. per *c. Per tuas, de condit. appoſ.* Quod idem erit in foro interno etiam poſt Tridentinum, ſi affectu conjugali commixti ſunt. Quia jam ſervata eſt forma Tridentini in priori contractu, & judicandum erit, ac ſi impleta eſſet conditio occulte.

26 2. Infertur, ſi duo conſanguinei contrahant coram parocho, & teſtibus, per verba de præſenti, ſub hac conditione. Si Papa diſpenſaverit, ſuppoſita opinione, quam tenuimus num. 10. eſſe matrim. abſque novo conſenſu, idem dicendum eſſe modo poſt Triden. ſi vero ſolum contraxiſſent ſponſalia, quamvis antiquitus adveniente diſpenſatione per copulam tranſibant in matr. juxta *c. Is, qui de deſponſ.* & docet *Sotus 4. l. 29. q. 2. art. 1. ad fin. verſ. Poſtremum, Loazes de matr. dub. 12. n. 24. Cov.* Cum multis, quos refert *4. decret. 2. p. c. 4. init. n. 5. Verac append. ad dub. 19. 1. part. ſpecul. §. At ſi poſt diſpenſationem, f. 118. Villalob. in commun. opin. lit. M. n. 68. Lud. Lop. 2. par. inſtr. novi, materia de matr. c. 42. f. 1087. col. 1. Candel. ſacram. 1. p. materia de matr. n. 54.* At per Trid. eſt jam correctum: cum ceſſarint matr. præſumpta. Ut bene *Verac. Lud. Lop. & Candel. ibi.* Haberet tamen locum poſt Trid. ſi ſponſalia illa, & copula fierent coram parocho, & teſtibus. Quia jam ſervatur forma. In quantum autem videtur repugnantia inter hos DD. nam *Sotus, Veracruz, Lud. Lop.*, dicunt hoc ita eſſe, ſive quando commixti ſunt affectu uxorio, ſcirent diſpenſationem eſſe obtentam ſive ignorarent. At Covar. & ceteri dicunt, quando ſcientes diſpenſationem eſſe obtentam: ſic conciliandi ſunt: ſi nomine eorum obtenta eſt diſpenſatio, ſat eſt ut is, qui impetravit, ſciat eſſe obtentam, quia ex tunc prodeſt ipſis diſpenſatio: ſi vero non nomine eorum, ſed ipſis ignorantibus, neceſſarium eſt, ut ſciant diſpenſationem eſſe obtentam. Quia alias nihil eis prodeſt diſpenſatio, nec privilegium (ut dixi lib. 3. diſp. 36. n. 2. & 6.) quare perinde eſſet, ac ſi ſine diſpenſatione commixti eſſent: cum illa a tempore ſcientiæ impetrantium, vel procuratoris tantum proſit.

27 Ad arg. oppoſita ſent. propoſita n. 23. reſp. Ad 1. dico, non eſſe neceſſarium, ut aſſiſtant matr. omnino perfecto, de quo plene poſſint teſtificari: ut probavi nu. 24. ſed ſat eſſe, ſi aſſiſtant matr. de præſenti, quod ex ſuppoſitione alicujus conditionis præteritæ, aut præſentis eſt omnino perfectum, vel erit impleta conditione futura: tuncque inducet vinculum indiſſolubile. Ad confir. conſtat ex dictis, vitabitur enim id inconveniens. Quia cum jam conſtet Eccleſiæ de aliquali matrim. non pertinet ſecundum, ante plenam primi diſcuſſionem. Ad 2. Non eſt ſimile: quia ille contractus de præſenti inter impuberes, ſolum habet rationem ſponſalium: juxta *c. un. de ſponſ. impub. in 6.* at matrim. ſub conditione de futuro, eſt vere contractus de præſenti, & non ſponſalia: ut diximus.

DISPUTATIO IX.

An conditio contraria ſubſtantiæ matrimon. aut bonis ejus, ipſum annullet, ſive adjiciatur de præſenti, præterito, vel futuro, vel potius tamquam turpis rejiciatur, validumque ſit matrimonium.

SUMMARIUM.

Proponuntur argumenta ad probandum non vitiare, ſed rejici tamquam turpem, n. 1.

Tria bona matrimonii quo pacto ſint de ejus ſubſtantia, 2.

Conditio contraria ſubſtantiæ matrimonii, aut ejus bonis, illud irritum reddit, 3.

Hoc eſt verum, etiam ſtando in jure naturali, 4.

Non vitiat, quando conditio illa non adverſatur præſenti matr. ſed alii, ſed tunc tamquam turpis rejicitur, 5.

Quid, ſi conditio contraria ſubſtantiæ matr. non ſit de futuro, ſed de præſenti, 6.

Quid, ſi conditio illa de præſenti, aliquo modo tangat matr. de futuro, vel reſolvatur in conditionem de futuro, 7.

Quid, ſi adjiciens conditionem contrariam ſubſtantiæ, non principaliter intendat aliquid contra matrim. ſubſtantiam, ut Contraho tecum, & ſi dotem non dederis, vel adulterium admiſeris, volo, ut deinceps matr. non valeat, 8.

Quid, ſi conditio contraria non adjiciatur in modum obligationis, ſed ſuſpenſive, 9.

Quid, ſi conditio contraria ſit impoſſibilis, 10.

An valeat matrim. ſub hac conditione, ſi te adulterandam tradideris, 11.

Quid, de hac conditione: Si prolem neces, aut mutiles, aut mancam reddas, aut oculos eruas, 12.

Quid, de hac conditione, Si prolem a nobis ſemper abjiciamus, & alendam exponamus, 13.

Solvuntur argumenta, nu. 14. Et ibi explicatur cap. fin. Qui clerici, vel voven. & an conditio retinendi proprium, adverſetur ſubſtantiæ profeſſionis, & eam irritet.

1 ET videtur nullo modo vitiare. 1. nam ſtante intentione non ſervandi fidem, & vitandi generationem, ſtat ſubſtantia matrimon. ergo conditio, & pactum contrarium non eſt contra ſubſtantiam matrim. nec tollit debitum conſenſum. Et confir. quia cum matrim. ſtat ſterilitatis venena ſumere, proliſque generationem vitare: ergo hæc conditio proli contraria, Si vites generationem, non vitiat matrim. 2. Prob. cum eſſentia conſiſtat in indiviſibili, ſemperque eadem maneat, ac invariabilis ſit, quod contradicit eſſentiæ in rei conſtitutione, & impedit conſtitui, ſi adveniat rei conſtitutæ, deſtruet ipſam. Ut ſi homini jam conſtituto adveniret aliquid contrarium ſuæ eſſentiæ, ipſe peribit: ſed ſi poſt initum matrim. adjiciantur iſtæ conditiones contrariæ ejus ſubſtantiæ, non annullant ipſum: ergo nec ſi adjiciantur ante contractum. 3. Probat. quia conditio contra ſubſtantiam actus, non vitiat actum, ſed ſuſtinetur actus rejecta conditione, *l. Cum precario aliquid, 12. ff. de præcar.* ubi pactum ne poſſit precarium quandocumque revocari, quod eſt contra ſubſtantiam precarii, ut conſtat ex *c. fin. de precariis*, dicitur non vitiare precarium, ergo conditiones contrariæ ſubſtantiæ matrim. non ipſum vitiant. 4. prob. quia conditio retinendi proprietatem eſt contra ſubſtantiam profeſſionis, *c. Cum ad monaſterium, fine de ſtatu monach.* & tamen non vitiat profeſſionem, ut conſtat ex *c. fin. Qui clerici vel voventes*, ubi approbatur profeſſio, cum conditione manendi in domo, cum omni ſubſtantia propria: ergo conditio contraria ſubſtantiæ matrim. non annullabit ipſum. 5. probatur ex *c. Diaconi, 28. diſt.* ubi valet ſacer ordo collatus alicui, ea lege, ut poſſit uxorem ducere rejiciturque conditio. Et *c. 2. 10. q. 1.* valet conſecratio Eccleſiæ rejecta conditione, ut non ſubſit Epiſcopi curæ: ergo ſimiliter in matrim. dicendum eſt.

2 Præmittendum eſt, quamvis tria bona matrim. non ſint de ejus eſſentia, quoad executionem: eſſe tamen de eſſentia quoad obligationem: eſt enim de eſſentia, ut conjuges obligentur ad vitam perpetuam, & individuam, & ad fidem ſibi ſervandam: reddendo debitum, negandoque corpus alii: prolemque non impediendam, ſed educandam, ſi Deus eam dederit. (Quod late explicui l. 2. diſp. 29. nu. 12.) Unde conditiones, & pacta, per quæ conjuges ad aliquid his contrarium obligantur, tollunt matrim. ſubſtantiam, & debitum conſenſum.

Hoc ſuppoſito, ſit concluſio: conditio contraria ſubſtantię matr. aut bonis ejus, illud irritum reddit, habetur expreſſe, *c. fin. de cond. appoſ.* ibi: *ſi conditiones contra ſubſtantiam conjugii inſerantur, puta, ſi alter dicat alteri, Contraho tecum, ſi generationem prolis evites, vel donec inveniam digniorem, aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus quantumcumque ſit favorabilis, caret effectu.* Idem habetur *c. Solet*, 32 *q.* 2. & concordat *l.*5.*t.*4.*p.*4. Et ratio eſt, quia ſine ſubſtantia nihil poteſt ſubſiſtere, *c. Tua nos*, *de ſponſ. & c. Detrahe* 1. *q.* 1. ſed ſubſtantia matrim. conſiſtit in conſenſu ad ſocietatem conjugalem, ſub quo tacite includitur ad perpetuam ſocietatem, ad fidem mutuo ſibi ſervandam, prolemque ſuſcipiendam, quæ ſunt tria bona matrim. *c. Omnes* 27. *q.* 2. ergo conditiones, quæ his adverſantur, deſtruunt ſubſtantiam matrim. & conſequenter ipſum annullabunt. Præterea, quia alii contractus annullantur ob conditionem eorum ſubſtantiæ adverſam, ut ſi ſocietatis contractus ineatur ea lege, ut lucrum, & damnum, commune non ſit: vel venditionis ea conditione, ut emptor rei venditæ, dominium non comparet: ergo ſimiliter conditio repugnans ſubſtantiæ matr. illud vitiabit.

4 Hinc fit, concl. eſſe veram etiam ſtando in jure naturali: ut probant rationes prædictæ. & docet bene *Pet. a Ledeſ. de matr. q.*47.*art* 5.*dub.*4. *concl.*2. & 3. quare Pontifex *d. c. fin.* definivit conditiones has vitiare matr. nil novum ſtatuit, ſed quod jus naturæ dictabat, declaravit.

5 Intellige tamen 1. concl. quando conditio adjecta adverſatur præſenti matr. non enim vitiabit, ſi alii matr. adverſetur: ut Contraho tecum, ſi feceris, ut conjux Petri adulteretur, vel ſumat venena ſterilitatis. Et ratio eſt manifeſta, quia ideo hæ conditiones vitiant, quia illis ſtantibus non ſalvatur ſubſtantia hujus matr. ſed quando conditio non adverſatur ſubſtantiæ hujus matr. ea manet ſalva, ac illæſa: ergo non vitiat matr. Sic *Palud.*4.*d.*29.*q.*2.*art.*5.*n.*27. *Lud. Lop.* 2. *par. inſtr. novi*, *mater. de matr. c.* 42. *f.*1097. *col.*1. Unde talis conditio tamquam turpis rejicietur: juxta dicenda de conditione turpi, hoc l.5. diſp.15. n.1.

6 Intellige concl. ut conditio repugnans ſubſtantiæ matrim. illud vitiet, ſive ſit de futuro, ſive de præſenti: ut, Contraho tecum, ſi uteris modo venenis ſterilitatis, Quia *d. c. fin.* indiſtincte loquitur de his conditionibus. Sic *D. Th.* 4. *d.* 29.*q. un. art.*3.*quæſtiun.*3.*Sylv. matr.*3.*q.*1.*fin. Victor. ſum. mater. de matr. n.*260. *Sotus* 4.*d.*29.*q.*2.*art.*1.*concl.*2.*Barth. a Led. dub.*25. *de matr. concl.*2. §. *Et annotato*, *Lud. Lop.* 2 *part. inſtr. novi*, *c.* 42. *fine*, *f.*1089. *col.*1. & 2. *de matr. Petr. de Led. de matr. q.*47 *ar.*5. *dub.* 4 *ante ſolut. ad* 1. §. *Advertendum tamen eſt*, *f.*233. ſecus (inquit *Petr. de Led.*) eſt, quando conditio eſſet de præterito, talis enim non vitiaret. Sed contrarium eſt verius, nempe ſolam conditionem contrariam matrim. illud vitiare, quando eſt de futuro, ſecus quando eſt de præſenti, vel præterito: tunc enim valida eſt conditio, & ea exiſtente matrim. erit: non autem exiſtente minime valebit matrim. Prob. quia *d. c. fin.* loquitur de conditionibus, at propria conditio non eſt, niſi quando eſt de futuro. Item quia feminam, aut virum intendere adulterari, aut venena ſterilitatis ſumere, non adverſatur ſubſtantiæ matrim. ſe obligare ad ſic faciendum: nam hæc bona matr. tantum pertinent ad ejus eſſentiam, quoad obligationem, non vero quoad executionem: at quando eſt conditio de præſenti, aut præterito, tantum continent executionem contrariam, non vero obligationem. Ita docent *Palud.*4.*d.*29.*q.*2.*ar* 5.*n.*26.27. *Adrian.*4. *q.*3. *de matr. dub.* 9. §. *Reſpondeo ad* 1. *quod major. verſ. Ex hoc patet reſponſio ad* 2. & *verſ. Ad tertium dico*, *Covar.* 4. *decret.* 2.*p.c.* 3. §. 1. *num.*9. *Enriq. l.* 11. *de matrim c.* 12. *num* 7. & *c.* 4. *num.* 1. *comm. litt. E. Barth. a Led. de matr. dub.* 25. *concl.* 10. ubi male contra reliquos dicit haberi pro non adjecta talem conditionem, tamquam turpem: nam ſola turpis de futuro, rejicitur. (Ut dicemus hoc 5. lib. diſp. 15. num. 5.) Quare (ut diximus) valida eſt conditio, & ea impleta valebit matrim. & non aliter.

7 In uno tamen caſu habebit verum prior ſentent. ſcilicet, quando ſic adjiceretur conditio contraria de præſenti, aut præterito, aut afficeret, ac tangeret matrim. in futurum. Ut Contraho tecum, ſi inveniſti, vel habes venena ſterilitatis ad utendum in matr. vitiabit enim conditio hæc matrimonium. Quia proinde eſt ac obligare ſe in futurum ad ea venena ſumenda. Sic *Palud.*4.*d.*29.*q.*2.*art.*5.*n.*27. Similiter contraho tecum, ſi modo per biennium contrahimus. Quia æquivalet propoſitioni de futuro, nempe, ſi poſt biennium ſolvatur matrimonium.

8 3. Intellige concl. ut intelligatur, quando adjiciens conditionem contrariam matrim. principaliter id intenderet, ut ſequeretur aliud contra matrim. ſubſtantiam. Ut, Donec aliam ditiorem inveniam, contraho tecum: ſecus quando non principaliter id intenditur, ſed aliquid aliud, & ſi id deficiat, velit matrim. diſſolvi. Ut, Contraho tecum: & ſi dotem non dederis, aut adulterium admiſeris, volo te poſſe relinquere: talis enim conditio non vitiat matrim. ſed tamquam turpis rejicitur, & manet purum, ac validum. Quia talis conditio non tendit ad diſſolvendum matrim. Sic *Alex de Nevo*, *c.* 1. *n.* 2. & *c. fin. n.* 4. *de cond. appoſ. Jo. And. eo c.* 1. *n.* 2. & *ibi Vincent.* & *Ant. n.*2. *Anch. n.* 2. & 3. *Abb. n.* 2. Ceterum omnino tenendum eſt contrarium, & hujuſmodi conditionem vitiare matr. 1. quia licet hæc conditio ſit reſolvens, & non ſuſpendens, at etiam reſolvens vitiat matrim. ut conſtat ex exemplo *textus d. c. fin.* Donec aliam ditiorem inveniam. 2. quia hujuſmodi conditio tollit ſubſtantiam, ac principale bonum matr. ſcilicet, eſſe perpetuum, ac inſeparabile vinculum: ergo implicat habere legitimum conſenſum ad matr. requiſitum cum iſta conditione ſeparabilitatis. Et ita tenet *Abb.* ſibi contrarius *d. c. fin. n.* 2. *Card. c.* 1. *de cond. appoſ. nu.* 2. ubi *Prepoſ. n.* 1. & *d. c. fin. n.*4. *Covar.* 4. *decret.* 2. *p. c.* 3. §. 1. *n.* 10. *Lancel. inſtit. juris can. lib.* 2. *tit. de ſponſ.* §. *Sponſalia contracta ſub conditione*; *v. Puta*, *Lud. Lop.* 2. *part. inſtr. novi materia de matrim. c.* 42. *f.* 1088.

9 4. Intellige concl. ut matr. irritum fiat adjecta conditione ejus ſubſtantiæ contraria, quando non adjicitur ſuſpenſive, ſed in vim obligationis: quia ſtatim ſponſi contrahunt, & perficiunt matrim. at volunt manere obligati ad eas conditiones, ſecus quando eæ conditiones adjiciuntur ſuſpenſive: quia ſcilicet, ſuſpendunt matrim. donec eæ eveniant. Tunc enim non annullant matr. ſed tamquam turpe rejiciuntur, manetque validum. Et ratio differentiæ eſt, quia in priori caſu matr. concurrit cum illis conditionibus, & ſic non mirum eſt, ſi illud annullent, at in poſteriori non concurrunt cum matrim. ſed prius impleri debent, quam matrim. fit. Hanc ſent. tribuit *Cov.*4.*decret.*2.*p.c.*3.§.1.*n.*7. *Adrian.*4. *q.*3. *de matr. dub.* 9. Sed eam minime tenet, ſed ſolum dicit non vitiare has conditiones, quando adjiciuntur per modum aſſertionis, ſed ſolum quando per modum obligationis, quod eſt dicere, (ut ipſemet ſe explicat *ibi*, *in ſolut. ad* 3.) non vitiare, quando ſunt de præſenti, vel præterito, ſed tantum quando ſunt de futuro: Sed hanc ſent. tenet *Lud. Lop.* 2.*p. inſtr. novi mater. de matr. c.*42. *f.*1088. Sed merito *Cov. ibi*, dicit eſſe dubiam: & jure optimo contra eam tenet, dicens in utroque caſu vitiare matr. *Ant. Cucus l.* 5. *inſt. major. t.* 11. *n.* 113. quia textus c. fin. generaliter loquitur de conditionibus contrariis matrim. & proprie eſt conditio, quando ſuſpendit. 2. quia quando ponitur ea conditio ſuſpenſive, adhuc inducit obligationem repugnantem matrim. quod ſub ea conditione contractum eſt: ergo adhuc vitiat.

10 5. Intellige concluſionem, ut etiſi ea conditio ſit impoſſibilis, adhuc vitiet matr. quamvis alias conditio impoſſibilis rejiciatur: (ut dixi hoc 5. lib. diſp. 4. n. 19.)

11 Ex hac concluſione ſic intellecta, infertur 1. minus bene *Angel. matr.* 3. *imped.*3. *n.* 11. aſſeruiſſe hanc conditionem, Si te adulterandam tradideris, non eſſe contrariam matr. niſi addatur, & mihi debitum non ſolveris; atque ita non vitiare illud, ſed tamquam turpem rejici. Sed minus bene dixit. Quia fides matrim. utrumque complectitur, juxta illud D. Pauli: *vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed uxor, neque uxor ſui, ſed vir*, & quamvis non ſit de eſſentia matrim. ut conjux non adulteretur, eſt tamen de eſſentia, & pertinet ad ejus fidem, ut ſe obliget ad ſervandam debite fidem matr. & ad non adulterandum. Item, quia hoc exemplum expreſſe ponitur *d. c. fin.* Et ita *Angel.* reprobant *Adrian.* 4. *q.* 3. *de matr. dub.* 9. *Tabiena matr.* 2. *q.* 11. *n.* 12. *Covar.* 4. *decret.* 2. *p. c.* 3. §. 1. *n.* 2. *Roſella matrim.* 5. *n.* 1. & omnes DD. Juris Pontificii *d. c. fin. Sotus* 4 *d.* 29. *q.* 3. *art.* 3. *in ſolut. ad* 1. *Ant. Cucus lib.* 5. *inſtit. major. t.* 11. *n.* 116. *Alex. Carrer. lib.* 4. *de ſponſ. c.* 5. (habetur *to.* 9. *tract.*) *Lud. Lop.* 2. *part. inſtr. novi materia de matrim. c.* 42. *f.* 1080. *col.* 1. *Petr. de Led. de matrim. qu.* 47. *art.* 5. *dub.* 4. *in ſolut. ad* 7. *fol.* 238.

12 2. Infertur, hanc conditionem, Si prolem neces, aut mutiles, aut eam mancam reddas, aut oculos eruas, eſſe contrariam bono prolis, atque ita vitiare matr. Sic *Lud. Lop.* 2. *p. inſt. novi*, *materia matr. c.*42. *f.*1088. *col.*2.

13 De iſta autem conditione, ſi prolem a nobis ſemper abjiciamus, & alendam exponamus, non conſtat inter DD. Aliqui enim cenſent vitiare matr. tamquam contrariam ejus ſecundario fini, qui eſt commoda prolis educatio. Sic *Barth. a Led. dub.* 25. *de matr. concl.*4. Secus (inquit) de hac conditione; Nec filios proprio lacte nutrias. Ceterum probabilius eſt, neutram conditionem eſſe contra ſubſtantiam matrim. Quia non eſt omnino contra prolis bonum, non enim omnem curam prolis parentes deponunt, cum intendant eam exponere ab aliis alendam. Sic *Lud. Lop.* 2. *inſtr. novi*, *materia de matr. c.* 42. *f.* 1088. *col.* 2. *Petrus de Ledeſ. matr. q.* 47. *art.* 5. *dub* 4. *ad* 5. *argum. ſolut.* 2.

14 Supereſt reſpondere ad argum. num. 1. propoſita. Ad primum, & confirmationem negatur conſequentia. Nam (ut diximus) quamvis intentio non ſervandi fidem, & vitandi generationem, & ſumendi venena ſterilitatis, non repugnet ſubſtantiæ matr. repugnat tamen ad hoc ſe obligare, pacto inter contrahentes inito. Ad 2. diſtinguenda eſt major, ſi id quod repugnat eſſentiæ, adveniat poſt eſſentiam conſtitutam, eo modo, quo repugnat eſſentiæ, deſtruet ipſam: ſecus ſi alio modo. Verbi gratia, ſi poſt initum contractum ſocietatis abſolute communi conſenſu partium, nec ineundo alium contractum aſſecurationis, adjiciatur conditio, ut nec lucrum, nec damnum ſit commune ſociis, deſtruetur ſocietas, quia ea conditio apponitur eo modo, quo repugnabat eſſentiæ contractus, nempe tamquam pars illius. Cum enim hi contractus poſſint mutuo conſenſu diſſolvi, poſſit etiam mutuo conſenſu adjici conditio. at in matrim. conditio contraria quando apponitur in ipſo contractu, repugnat ejus ſententia, quia apponitur tamquam pars contractus, quo ſolo modo repugnat ſubſtantiæ matrim. ſed quando apponitur matr. jam contracto, cum jam diſſolvi nequeat, non eſt pars ipſius contractus, & hęc non adverſatur ei, neque ipſum vitiat. Ad 3. reſpondetur, cum *Cov.*4.*decret.*2.*p.c.*3.§.1.*n.*17. conditionem contrariam ſubſtantiæ actus tunc actum annullare, quando reſiſtit initio ipſius actus. Quia repugnat, illi qualitati, ſine qua actus initium capere non poteſt, ut contingit in conditionibus contrariis ſubſtantiæ, ac bonis matr. at conditio, ne poſſit precarium quandocumque revocari, non repugnat initio contractus: nam conſenſus neceſſarius ad contractum precarii gerendum, non tollitur ex ejus conditionis adjectione, ſed eſt contra quamdam illius actus qualitatem, & ita rejecta conditione ſuſtinetur actus: ut contingit in teſtamento facto cum pacto non revocandi: quia enim id pactum non contrariatur conſenſui, qui ad teſtamenti valorem deſideratur, ſed cuidam ejus qualitati, ſuſtinetur teſtamentum rejecto pacto: at conditiones contrariæ matr. adverſantur conſenſui ad ipſum requiſito, (ut explicuimus) & ideo vitiant. Ad 4. longa, & gravis ſe offerebat diſputatio, an pactum retinendi proprium ita adverſatur profeſſioni religionis, ut ipſam vitiet? ſed ne longius divagemur, conſulto, quia ea non eſt noſtri inſtituti, omittimus. Poſſunt tamen circa eam conſuli DD. *c. fin. de condit. appoſ.* & *auth. Ingreſſi*, *C. de ſacroſ. Eccleſ.* & *Cov.*4.*decr.*2.*p.c.*3.§. 1.*n.*19. Admiſſo tamen eſſe contra ſubſtantiam religionis, & eam vitiare (quod probabilius exiſtimo:) reſp. ad *cap. fin. qui clerici*, *vel vovent. cum gl. ibi*, *verb. Ut in modo*, & *Immola leg. Ubi ita donatur*, *n.*4. *ff. de donat. cauſa mortis*, intelligi eum textum, cum conditione manendi in domo, cum omni ſubſtantia, non quoad proprietatem, ſed quoad uſum: quod non contrariatur ſubſtantiæ profeſſionis. Ad ultimum dico, conditionem ducendi uxorem, non eſſe contra ſubſtantiam ordinis, ſed contra præceptum Eccleſiæ: nec conditionem, ut Eccleſia conſecrata non ſubſit Epiſcopo, eſſe contra ſubſtantiam conſecrationis, & ita neutram vitiare.

DISPUTATIO X.

Utrum conditio contraria bonis matrimonii, ſi honeſta ſit, illud vitiet, vel tantum quando eſt turpis?

SUMMARIUM.

Proponitur 1. *opinio dicens non irritare, ut Contraho tecum, hac lege ut ſervemus caſtitatem*, *num.* 1. *Et contraria verior.* 2.

Quid de hac conditione, Contraho tecum, ſi prius voves, nec te petiturum, nec redditurum debitum, 3.

Quid de hac, Contraho tecum, hac lege, ut nunquam petas, 4.

Quid de pacto non cohabitandi, vel certis diebus abſtinendi a copula. 5.

Quid de pacto, ut liceat ante, vel poſt conſummationem ingredi religionem. Vel ſi adducatur in pactum conditio, quę de jure communi, & conſuetudine ineſt: Vel ut teneantur ambo, vel alter religionem ingredi, *n.* 6. *Et ſolvuntur argumenta*, 7.

1 Duplex eſt ſent. prima ait, conditionem honeſtam, licet contrariam bonis matr. non irritare illud: ut ſi duo contrahant hac lege, ut in perpetua caſtitate vivant, aut conſummato matr. religionem profiteantur: unde dum *c. fin. de condit. oppoſ.* deciditur, conditiones contrarias matr. illud annullare, intelligitur, quando eæ conditiones ſunt turpes: ut conſtat ex exemplis ibidem ſubjunctis: quæ omnia conditiones turpes continent. Prob. 1. quia copula carnalis non eſt de eſſentia matr. ergo conditio de illa non habenda, non illi adverſatur, licet ſit contra bonum prolis, atque ideo nec illud irritat. Et confir. quia hac conditione videntur contraxiſſe B. Virgo, & S. Joſeph. 2. Prob. quia ſi ambo ante matr. contractum, voto ſe religionis, aut caſtitatis aſtrinxiſſent, eſſet verum matr. non obſtante ea obligatione, qua alteruter teneretur ab altero minime petere debitum, ergo idem erit quamvis ea conditio apponatur in ipſo contractu. 3. Prob. quia ea conditio tacite videtur ineſſe, cum contracto matr. poſſint communi conſenſu vovere caſtitatem, ac ingredi religionem. Ut conſtat ex *tot. tit. de converſ. conjug.* ergo ejus expreſſio nil operabitur, nec vitiavit matr. 4. Prob. quia ſi quis ſic contraheret, Contraho tecum non tradendo poteſtatem, nec dominium mei corporis, manifeſte eſt contra matr. ſubſtantiam, quod conſiſtit in dominio corporis tradendo, at cum dominium diſtinguatur ab uſu, conferri illi poterit ſub conditione nunquam utendi tali re, nec hæc conditio erit contraria conditioni dominii, nec ſubſtantiæ matr. ergo illud non irritabit. Et confir. quia dici nequit impertinens eſſe tale dominium abſque uſu, plures enim habet effectus, contrahens enim ſub tali conditione manet inhabilis ad aliud matr. & ſi accedat ad aliam, eſt adulter: & ſi mutato propoſito accedat ad uxorem, non fornicatur. Ultimo prob. quia ſalva eſſentia matr. eoque manente illæſo poteſt tolli jus petendi, & reddendi: ut ſi ambo communi conſenſu voveant caſtitatem, vel profiteantur religionem. Et ſi alter adulteretur, aut cognoſcat conſanguineam uxoris, privatur utique jure petendi: ergo conditio auferens jus petendi, & reddendi, non eſt contraria eſſentiæ matr. nec illud vitiabit. Et ita defendunt *Palud.*4.*d.*30.*q.*2.*ar.*1.*concl.*2 *n.* 6. *Abulenſ. c.*30. *Num. q.*32. *ad fin. Barbat. c. fin. col.* 1. *de precariis*. Et videtur tenere *Gerſon* 3. *par. ſerm. de Nativ. Virg. conſid.*2. *alphab.* 59. *lit. V. fin.* hoc enim dicit, *Vovit Maria virginitatem, vovit & ipſe Joſeph, cui voto non repugnavit vera matrimonialis conjunctio.* Et dicit non eſſe improbabilem hanc ſent. *Sotus* 4.*d.*29. *q.*2.*art. verſ. In prima autem concl.* Et vere probabilis eſt.

2 Secunda tamen ſent. multo probabilior, affirmat ejuſmodi conditionem vitiare matrim. Pro cujus probatione ſuppono, quamvis non ſit de eſſentia matr. ut proles, & copula intendantur expreſſe, requiri tamen, ne potentiæ, ſeu poſſibilitati ad hæc adjiciatur diſſenſus contrarius: cum jus, & potentia ad carnalem copulam ſit ſubſtantialis. Matr. enim [ut dixi l.2. d.1. n.56.] eſſentialiter conſiſtit in mutua corporum traditione, qua uterque conſtituitur dominus alterius corporis, ad quod dominium intrinſece conſequitur jus, & poteſtas utendi illo corpore. 2. Suppono, quando in ipſo contractu matrimoniali apponitur conditio, ut uterque conjux maneat in perpetua caſtitate, non ſolum tolli copulam carnalem, ſed etiam jus, & poteſtatem ad talem copulam, nam obligantur ad non petendum, nec reddendum, quæ obligatio efficaciter impedit, ne ſequatur tale jus, & poteſtas quantum eſt ex parte ſua. Prob. ergo hæc ſententia, illa conditio quamvis honeſta ſit, repugnat intrinſecis, & neceſſariis ad matr. ergo illud deſtruit. 2. illa conditio eſt contra bonum prolis: ergo irritat. Quia Pontifex *c. fin. de condit. appoſit.* expreſſe aſſerit, conditionem contra bonum prolis illud annullare: nec diſtinguit, an conditio honeſta ſit, an turpis, nec vim facit in conditionis turpitudine, ſed in repugnantia bonis matrim. æque autem illis repugnat, ſive turpis, ſive honeſta ſit. Et ideo hanc ſent. tenent *D. Th.*4.*d.*28.*q. un. art.*4. *ad* 3. *D. Bonav. ead. d. q. ult. n.*33. *Ricard. ead. d art.*2.*q.*4. *ad* 3. *Enric. quodl.*9. *q.*11. *Adrian.*4.*q.*3. *de matr dub.*9. *Sotus* 4.*d.*29.*q.*2. *art.* 3. *verſ. in prima autem*, *Enriq. lib* 11. *de matr. c.*4.*n.*1. & *l.*12.*c.*2.*fin. Bart. a Ledeſ. dub.*25. *de matr. concl.*4. *Vivald. Candel.* 1. *p. de matr. n.*56. *Petr. de Ledeſ. de matr. q.*47.*art.*5.*dub* 4. *ad* 2 *Lud. Lop.*2.*p. inſtr. de matr. c.*41.*f.*1080. *col.*2. Et ex juriſperitis, *Abb. c. Commiſſum*, *cap.*2. *de ſponſ.* & *ibi Alex. de Nevo*, *n.*5. *Sylv. matr.*4.*q.*7. *Cov.*4. *decret.* 2.*p.c.*3.§.1.*n.*3. *Ant. Cucus lib.*5. *inſt major. t.*11. *n.*110. *Navar. l.* 4. *conſ. in* 1. *edit. t.*1. *de ſponſ. conſ.*18.*n.*2. & 3. *in* 2. *edit. lib.*3. *tit. de voto*, *conſ.*11. *n.*2 & 3. *Alex. Carrer. lib.* 4. *de ſponſ. cap.*5. habetur *tom* 9. *tractatuum*.

3 Ex hac ſent. infertur primo, quid dicendum ſit de ea conditione, Contraho tecum, ſi prius te voto caſtitatis ſic obſtrinxeris, ut nunquam a me petas, nec reddas debitum? Aliqui cenſent non vitiare matrim. Quia talis conditio non impedit tranſlationem dominii, & poteſtatis corporis: ſi enim poſtea conjux, qui ſic vovit, petat, aut reddat, non peccat contra juſtitiam, ſed contra religionem voti. Sic aliqui neoterici, ut eos refert, ac ſequitur *Petr. de Led. de matr. q.*47.*ar.*5.*dub.*4. *in ſol. ad* 2. §. *Quod vero attinet*, *f.*235. Sed dicendum eſt vitiare matr. Quia eſt contra bonum prolis, & quantum eſt in ſe, impedit tranſlationem dominii corporis: quia cum in pactum deducatur, ut alter voto ſe aſtringat nec petendi, nec reddendi, non tantum tenetur ex religione voti ad id, ſed etiam ex juſtitia, ratione pacti acceptati, & ſub eo initi matrim. Idem, quia fruſtra eſſet ea potentia ad copulam, quæ numquam poſſet abſque mortali culpa in actum reduci. Et hinc patet ſolutio ad rationem contrariam, & ita docent *Sotus* 4.*d.*29. *q.*2.*art.*3 *v. In* 1 *autem concl. Cov. decr.*2.*p.c.*3.§.1.*n.*1. *Bart. a Led. dub.*25. *de matr. concl.*4. *Enriq. l.*11. *de matr. c.*4 *n.*1. & *l.*12.*c.*2. *fine.*

4 2. Infertur quid dicendum ſit de pacto non exigendi, appoſito in matrimonio? de quo *Sylv. matr.*4.*q.*7. ait non vitiare matr. Quia non exigere non eſt contra bonum prolis, quæ reddendo generari poteſt: nec contra bonum fidei: ſecus ſi eſſet pactum non reddendi. Quia eſt contra utrumque bonum. Idem *Adrian.*4. *mater. de matr. q.*3. *dub.*9. *in* 1. *ſol. ad* 3. Dicendum tamen eſt, ejuſmodi pactum vitiare matr. Quia de ratione matr. eſt totalis corporum traditio, ex qua dimanet mutuum, & æquale jus ad corpus alterius, at hic non eſt totalis traditio: cum non tradatur jus petendi, nec eſt æquale jus in utroque ad corpus: cum alter jus petendi, & reddendi acquirat, alter vero ſolum jus reddendi. Sic *Adrian. eod. dub* 9. *in* 2. *ſol. ad* 3. *Viguer. lib. inſtit. c.*16.§.7. *verſ. Sexto*, *ad fin.* ibi, *ſed cum in conditionibus*, *Bart. a Ledeſ. dub.*25. *de matr. poſt* 4. *concl. notab.*2. *Petr. de Ledeſ. de matr. q.*47.*art.*5.*dub.*4. *in ſol. ad* 3. *dub.*1. *quod circa eam diſcutit*. Idem videtur tenere *Enriq. lib.* 11. *de matr. c.*4. *n.*1. ait enim vitiare matr. quando alter ſe obligat ad non petendum, aut non reddendum.

5 3. Infertur, quid dicendum ſit de pacto non cohabitandi ſimul? de quo *Petr. de Ledeſ. de matr. q.*47.*art.*5.*dub.*4. *in ſolut. confirm. ad* 6. ait, ſi ſit pactum de non cohabitando ad tempus, non vitiare matr. ſecus ſi ſit pactum numquam cohabitandi: Quia ad eſſentiam matrimonii non pertinet, ut omni tempore cohabitent conjuges, bene tamen mutua habitatio. Ut conſtat ex ea particula, Individuam vitæ conſuetudinem retinens, ut explicui lib.2. diſp.1. n.8. Et placet mihi. Si tamen eſſet pactum, ut certis diebus abſtinerent a copula, ut ſextis feriis, vel alio tempore ultra bimeſtre præfinitum a jure poſt initum matrimonium, tunc eſſe irritum matrimonium. Quia eſt contra ſubſtantiam ejus, nempe contra totalem con-

corporum traditionem. Ut bene *Lud. Lop. 2. par. inſtr. novi materia de matrim. c. 42. f. 1080. col. 2.*

6 4. Infertur, quid dicendum ſit, de pacto appoſito in matr. contracto, ut liceat ingredi religionem ante conſummationem matr. De quo certum eſt non vitiare matr. quia jure ineſt ea conditio, (ut late diximus l. 2. tota d. 18.) Sic docent *Card. c. De infidelibus conſang. n. 2. & ibi Jo: And. n. 5 Anch. n. 5. Alex. de Nevo n. 10 Goffred. Vincent. & Philip.* quos refert, ac ſequitur *Præpoſ. ibi, n. 5. verſ. Item nota*. Et ſimiliter idem dicendum eſt, ſi apponatur quælibet alia conditio, quæ jure communi ineſt. Ut docent *Jo: And. Anchar. Præpoſ. ibidem Alex. de Nevo, cap. fin de condit. appoſit. n. 9.* Idem dicunt *Jo: Andreas, Anch. Præpoſ.* quando eſt conditio, quæ ineſt de conſuetudine: & idem *Jacob. de Zochis*, quem refert *Alex. de Nevo, d. c. fin. n. 9.* Quamvis ipſe dicat ſe de hoc dubitare. Et ratio horum omnium eſt, quia ea conditio vere non eſt contra matr. ſubſtantiam, nec apponitur alio modo quam inerat. Quare ſimiliter non vitiabit matr. ſi ſit conditio, ut liceat utrique ex communi conſenſu poſt conſummatum matr. religionem profiteri. Quia ea etiam conditio jure ineſt. Ut conſtat ea *toto tit. 1. de converſ. conjug.* Si autem eſſet conditio, ut tenerentur vel ambo, vel alter ingredi religionem, ante, vel poſt matr. conſummationem, non valeret matrim. Quia ea conditio eſt contra matr. ſubſtantiam, nempe, contra mutuam corporum ad copulam traditionem: nec jure ineſt: licitum enim eſt ſic profiteri: at vero, ut ad id teneantur, non jure ineſt.

7 Ad arg. 1. ſententiæ propoſita, n. 1. reſp. Ad 1. dico licet copula non ſit de eſſentia matr. eſſe tamen obligationem, poteſtatemque ad copulam, quæ per id pactum tollitur. Ad confir. (ut late dixi l. 2. d. 28. n. 1.) Virgo, & Joſeph non contraxerunt cum ea conditione, ſed abſolute, vere conſentientes in jus, & poteſtatem ſuorum corporum: quamvis uterque haberet propoſitum ſervandi caſtitatem. Ad 2. negatur conſequentia. Et ratio differentiæ eſt, I. quia votum ſimplex non eſt traditio, ſed ſolum promiſſio, unde ſicut quod uni promiſi, poſſum alteri tradere, & efficietur ſuum, quamvis ego peccem: ita homo corpus per votum Deo promiſſum poteſt per matr. feminæ tradere, ita ut verum dominium acquirat. At vero quando in ipſo contractu ponitur conditio, efficaciter impedit corporis tranſlationem, & conſequenter matr. irritat. II. quia obligatio ex voto cum ſit in ordine ad Deum, non tribuit alteri jus ad negandum debitum, & conſequenter nec aufert a vovente facultatem ad tradendum ſuum corpus, & recipiendum alienum jus ex juſtitia: cum per votum non abdicet de facto a ſe dominium quod habet in corpus conjugis, nec ſe reddat incapacem ad illud de novo acquirendum: at vero obligatio orta ex conditione appoſita, eſt obligatio in ordine ad ſe ipſos, & ideo dat unicuique jus ad negandum debitum, & aufert ad petendum. Ad 3. dico tacite ineſſe eam conditionem, ut liceat ingredi, nec per hoc impediri tranſlationem corporum, & jus petendi, ac obligationem reddendi, ſi ante conſummationem nolit ingredi religionem conjux. At ut teneatur ingredi, non tacite ineſt, & per id pactum impeditur poteſtas utendi corpore. Ad 4. nego, poſſe in matrimonio conferri dominium abſque facultate utendi, eſſet enim contra bonum prolis, ac principalem matr. finem, quamvis poſſit aliis uſibus deſervire. Et per hoc patet ad confirm. Ad ultimum, concedo antecedens, & nego conſeq. Quia quando a principio deducitur in pactum, impeditur plene tranſlatio poteſtatis corporum, ſecus quando jam eſt initum matr. tunc enim poteſtas, & dominium tranſlatum revocari minime poteſt.

DISPUTATIO XI.

An annullet matr. conditio hæc, ut alter conjux minime teneatur debitum reddere quoties alteri non licet exigere?

SUMMARIUM.

Refertur opinio negans vitiare, num. 1.
Et contraria verior, 2.
Valet conditio, ut conjux poſſit debitum negare, quando alter non habet jus juſtitiæ ad petendum, 3.
Solvuntur argumenta, 4.

1 ALiqui dicunt, hanc conditionem non annullare matrim. Prob. quia ea conditio jure ineſt, cum alter cooperetur peccato tunc reddendo, conſentit enim peccato alterius: ergo jure ineſt, ut tunc non teneatur reddere. 2. prob. quia eſt conditio peccati mortalis anſam removens. 3. quia bonum prolis non pertinet ad matrimonii ſubſtantiam, cum non niſi gravi alterius peccato ſuſcipi poteſt. Sic tenent *Ant. Cucus lib. 5. inſtit. major. t. 11. n. 112.*

2 Verius tamen eſt, eam conditionem eſſe contra matrim. ſubſtantiam, atque ita illud vitiare. Prob. 1. quia ea conditio jure non eſt, in multis enim eventibus vir peccat mortaliter exigendo, at uxor negare non poteſt debitum. Ut ſi vir emiſerit votum caſtitatis, vel petat affectu fornicario, vel credat matr. non tenere, uxore ſciente eſſe validum: ergo ſi ex conditione poſita liceat tunc negare debitum, ſignum eſt non plene tranſlatum eſſe corporis dominium: ac ſubinde matr. non valebit. 2. Prob. quia per matr. acquiritur jus juſtitiæ ad corpus alterius, quamvis exigens aliquando peccet contra religionem, vel temperantiam, ergo conditio auferens hoc jus juſtitiæ, eſt contra matr. ſubſtantiam, atque ita illud vitiabit: talis autem eſt conditio non reddendi in iis caſibus, tollit enim jus juſtitiæ, quod alter conjux per matr. acquirere debeat, ut ſibi debitum petenti ſolvatur. Ita tenent *Adrian. 4. q. 3. de matr. dub. 4. Cov. 4. decret. 2. part. c. 3. §. 1. n. 6. Lud. Lop. 2. part. inſtr. novi mater. de matr. c. 42. f. 1080 col. 2. Petrus de Ledeſma de matr. q. 47. art. 5. dub. 4. circa ſolut ad 3. dub. 2 fol. 236.*

3 Si tamen apponatur conditio: ut poſſit conjux debitum negare, quoties id ſibi licet, quia alter non habet jus juſtitiæ ad petendum, ut ſi alter adulteretur, vel petat in loco ſacro, valet conditio, nec vitiat matrim. quia jure ineſt. Sic *Adrian. & Petr. de Ledeſ. nu. præced. citati.*

4 Ad arg. propoſita n. 1. reſp. ad 1. nego jure ineſſe, non enim cooperaretur peccato. Quia non omnis conſenſus in peccatum alterius eſt cooperatio, ſed quando aliquis ſponte conſentit: ſecus quando conſentit, quia ex debito juſtitiæ, vel alterius virtutis cogitur. Ut dum quis juravit ſolvere uſuras, quamvis eas accipiens peccet, minime tamen peccat ſolvens. Quia conſtringitur ex juramenti religione ſolvere, *c. Debitores de jurejur.* Ad 2. fateor, anſam peccati mort. removere: adhuc tamen vitiat matr. Quia adverſatur ejus ſubſtantiæ, non quatenus amovet eam peccandi anſam, ſed quatenus tollit jus juſtitiæ, quod acquiritur per matr. ut alter conjux teneatur debitum reddere. Ad 3. diſtinguendum eſt antecedens quando ſine gravi peccato juſtitiæ, quia alter ex aliqua cauſa privatur jure juſtitiæ exigendi, concedo: ſi autem peccatum exigendi non ſit contra juſtitiam, nego. Quia matr. cum ſit contractus quidam juſtitiæ, quo conjuges obligantur ad ſibi invicem reddendum debitum, tantum reſpicit hoc jus juſtitiæ, & quoad ipſum impertinens eſt, ſi aliunde contra votum peccetur.

DISPUTATIO XII.

An ſi Pagani, aut Judæi contrahant matr. ea lege, ut poſſint dare libellum repudii, juxta ritum eorum, valeat matrimonium?

SUMMARIUM.

Quamvis olim eſſet licitus libellus repudii Judæis, jam non licet, num. 1.
Refertur opinio aſſerens valere matrimonium Judæi, ea lege, ut liceat libellum repudii dare, quando in lege ſua id permittitur, n. 2. Et contraria verior, 3.
Quid de conditione habendi plures uxores, ut in ſua lege permittitur, 4.
An valeat matrim. ſi infidelis contrahat animo dandi libellum repudii, non deducendo id in pactum, nu. 5. Et ſolvuntur argumenta, 6.

1 SUpponendum eſt, Judæis permiſſum eſſe repudii libellum, ut teſtatur Chriſtus *Matth. 19.* Et quamvis fuerit ſub judice, an Moyſes permiſerit tamquam licitum Deo diſpenſante, vel tamquam minus malum: at hodie nullo modo eſt licitus. Tum quia lex eorum ceſſavit: tum etiam, quia Chriſtus *Matth. 19.* eorum diſpenſationem abſtulit. Ut bene *Sotus 4. d. 33. q. 2. art. 2. concl. 2.* De quo late dicendum erit ſuo loco. At inter Gentiles nunquam fuit licitus, nec Deus diſpenſavit: ut conſtat ex *c. Gaudemus, de divor. ver. Qui autem.* Et docet bene *Sotus ea concl. 2.*

2 Hoc ſuppoſito, quidam dicunt matr. inter Judæos initum pacto expreſſo, ut liceat dare libellum repudii ſecundum ritum eorum, validum eſſe. Quia cum lex eorum hoc permittat, licite deducitur in pactum, & jure ineſt: atque ita ejus expreſſio non nocebit, *cap. Significaſti, de electione.* Sic *Joan. Andr. c. De infidelibus num. 5. de conſang. Card. ibi, n. 2. Anchar. num. 4. Anton. num. 9 Abbas n. 6. Alex. de Nevo n. 10. Præpoſ. num. 5. verſ. Item nota.*

3 At dicendum eſt, modo nullum eſſe matr. Quia ea conditio eſt contra matrim. ſubſtantiam, cum contineat, poſſe diſſolvi matrim. vinculum, nec jure ineſt: cum jam abſque controverſia ſit, eam legem non excuſare a culpa, nec dare jus aliud ineundi matr. Sic *gl. eadem c. De infidelibus verſ. Eſſe matr. & ibi Hoſt. fin. Covar. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 1. n. 5.* Et a fortiori idem dicendum eſt de aliis infidelibus, quibus nunquam licuit libellum repudii dare.

4 Hinc infertur, ſi infidelis contrahat ſecundum ritum ſuum, qui eſt, ut habeat tot uxores, quot poſſit alere, ſi id ducat in pactum, eſſe nullum matr. ſecus ſi id non deducat: Quia eſt contra fidem matrim. Sic *Card. d. c. De infidelibus, fine Anchar. n. 5. Alex. de Nevo, n. 13. Præpoſ. fine.*

5 Si tamen infidelis contrahat animo dandi libellum repudii quoties id ſibi licet ſecundum ritum ſuum, quamvis id non deducat in pactum, eſt nullum matr. Quia intentio non ſervandi perpetuitatem matrim. illud annullat: ſecus de intentione non ſervandi alia bona: ut dixi l. 2. d. 29. n. 11.

6 Ad arg. propoſitum, n. 2, conſtat ex dictis: ea enim conditio non jure ineſt.

DIS-

DISPUTATIO XIII.

An quando conditio contraria matrimonio opponitur ab altero tantum ex contrahentibus, vitiet matr.

SUMMARIUM.

Referuntur quatuor ſententiæ, n. 1. 2. 3. & 4. Et ſent. authoris, n. 5.
Mutatio animi non præſumitur, 4.
Solvuntur arg. & explicatur c. Aliquando, 32. q. 5. n. 6.

1 HAc in re 4. invenio ſententias. I. ait, requiri, ut vitiet matr. ut apponatur ab utroque contrahente: quare ſi alter contrahens opponat, & alter contradicat, aut taceat (cenſetur enim tunc favore matr. contradicere,) valebit matr. Prob. ex *c. Aliquando, 32. q. 5.* ubi *D. Aug.* de iis, qui venena ſterilitatis procurant, quando ab initio ſic convenerunt, dicit non per connubium, ſed per ſtuprum conveniſſe: ubi clare dicit non eſſe matr. & ſtatim ſubdit, *ſi autem ambo non ſunt tales, audeo dicere, aut illa eſt, quodammodo mariti meretrix, aut ille adulter uxoris.* Ubi clare ſupponit, quando alter tantum conſentit, eſſe verum matr. cum eos viri, & uxoris nomine appellet. 2. Prob. quia quamvis alter conſenſus ſit purus: & alter conditionalis: at ille conditionalis: non vitiat actum: ergo valebit matr. Prob. antecedens, quia per eaſdem cauſas contractus naſcitur, & diſſolvitur, *c. 1. de reg. jur.* ſed ad matr. conſtituendum eſt neceſſarius mutuus conſenſus, ergo & ad diſſolvendum. Cum ergo hic non concurrat alterius conſenſus in conditionem, ea conditio non vitiat. Si ergo non vitiat: & ex alia parte eſt turpis, habebitur pro non adjecta juxta *c. fi. de cond. appoſ.* & remanebit conſenſus purus in matr. Et confirm. quia conditio nec confert ad contractum matr. confirmandum, vel infirmandum, niſi ab utraque parte acceptetur, teſte *Soto 4. d. 29. q. 2. a. 1. ante 2. concl. ver. In calce demum*, ergo cum illa conditio non acceptetur ab utroque, non infirmabit matr. & cum ex alia parte ſit turpis, habebitur quaſi adjecta non eſſet. Ita hanc tenent *Innoc. eo c. fi. n. unico, & ibi Hoſtienſ. paulo poſt prin. Jo: And. n. 2. Ant. n. 7 Card. n. 1. & in fi. Henr. n. 4. Alex. de Nevo n. 8. Præp. n. 1. Signorolus in repet. l. Ubi ita donatur, ad fi. ff. de donat. cauſa mort. Ang. matrimonium, 3. imped. 3. n. 13. Sylv. matr. 3. q. 11. verſ. 2. Tab. matrim. 2. q. 11. n. 12. Brunel. de ſponſ. concl. 33. n. 5.* habetur *tom. 9. tract.* Dicitque eſſe valde probabilem, *Cov. 4. decret. 2. p. c. 3. §. 1. n. 11.* & eam tenet quando alter contradicit, non replicans quando tacet, *Ant. Cucus l. 5. inſtit. major. t. 11. n. 52.* Et ex Theologis *D. Ant. 3. p. tit. 1. cap. 19. verſ. Sexta eſt, Barth. a Ledeſ. dub. 25. de matr. concl. 10.*

2 II. Sent. ait, tunc non eſſe matr. ſed ſponſalia. Neſcio, cui fundamento innitatur. Ita tenent aliqui Juriſperiti, quos refert *Cov. n. præc. cit.* Idem tenent *Enriq. l. 11. de matr. c. 12. n. 7. Lud. Lop. 2. p. inſtr. novi materia de matr. c. 42. f. 1089.*

3 III. Sent. docet, nec eſſe ſponſalia nec matr. Prob. quia diverſitas in conſenſu vitiat contractum. Ut quando alter pure conſentit: alter vero ſub conditione. Ut habetur expreſſe *l. 1. §. Si quis ſimpliciter, ff. de verb. oblig.* Et ratio eſt manifeſta, quia non uniuntur inter ſe conſenſus, ex qua unione contractus oritur: ergo cum in hoc matr. inveniatur hæc diverſitas, erit nullum. 2. quia ad matr. requiritur mutua corporum traditio, at in hoc caſu non invenitur: cum alter non abſolute tradat corpus, ſed ſub conditione contraria matrim. ſubſtantiæ, ac conſequenter excludenti verum conſenſum: ergo nullo modo eſt matr. Hanc tenent *Jo: ab Imola l. ubi ita donatur n. 3. ff. de donat. cauſ. mort. Aret. l. 1. §. Sed ſi mihi n. 3 ff. de verb. oblig. Cov. 4. decr. 2. p. c. 3. §. 1. n. 12. Ant. Cucus l. 5. inſtit. major. t. 11. n. 113.* Et ex Theologis, *Adr. 4. q. 3. de matr. dub. 9. ad fi. Petr. de Led. de matr. q. 47. ar. 5. dub. 5. principali, quod movet circa ſol. ad 8. dub. quarti, f. 239.* ubi ita mordicus hanc defendit, ut dicat 1. ſent. eſſe omnino improbabilem. Et idem aſſerit, licet copula ſtatim ſequatur.

4 IV. Sent. docet, ſi copula ſequatur, eſſe matrim. unde videtur ſentire ea non ſecuta non eſſe matr. Prob. quia ex eo quod alter taceat, vel contradicat, non videtur a conditione receſſum, cum mutatio animi præſumi non ſoleat, niſi facto, vel verbo declaretur, *l. Non ad ea, ff. de condit. & demonſtr. l. Cum hic ſtatus, ff. de donat.* ergo cum non adeſt culpa, non videtur recedi a conditione, at cum adeſt, eo ipſo videtur a conditione recedi, & matr. erit purum, juxta *c. Per tuas, de condit. appoſ.* ita docent *Abb. c. fin. de cond. appoſ. n. 6. Roſella matrim. 5 n. 1. & matr. 3. n. 11. 12. Sylveſt. matrimonium 4. q. 5. Greg. Lop. lib. 5 tit. 4. p. 4. verſ. Ni el caſamiento, Lancellot. inſtit. juris can. l. 2. t. de ſponſ. §. Sponſalia contracta ſub conditione, verſ. Puta.*

5 Sit concluſio. I. & IV. ſent. ſunt valde probabiles, unde immerito *Petr. de Led. n. 3 cit.* dixit, primam eſſe omnino improbabilem; at tertia eſt ex ceteris probabilior.

6 Ad arg. primæ ſent. propoſita, n. 1. reſpondetur. Ad I. dico *cum Adrian. cit. n. 3.* nil deductum eſſe in pactum, ſed tantum interveniſſe animum ſumendi, & ipſam ſumptionem: quare, ſive ambo, ſive alter habuerint eam intentionem, eſt verum matr., & ita in priori parte, dum dicit, non eſſe conjuges quando ambo eam intentionem habuerunt: intelligitur, id eſt, non ſervant jura conjugii: ut explicat *ibi Gl. verb. Conjuges*, non autem quod non ſit matr. Ad 2. & confirm. dico contractum, ubi ſemel perfectus eſt, per eaſdem cauſas debere diſſolvi, & ſic per mutuum conſenſum: at antequam perficiatur, ſatis eſt, ut alter diſſentiat, at matr. per appoſitionem talis conditionis, eſt omnino nullum, & dum ait conditionem non vitiare, quando non acceptatur ab altera parte, negandum id eſt, quando eſt contraria matr. quia eſt index diſſenſus & diſſenſus alterius ſat eſt ad annullandum matr. Ad arg. ſent. 4. propoſ. n. 4. dico, tunc recedi a conditione per copulam, quando contracta ſunt ſponſalia valida: vel ſi non fuerunt valida, ſaltem contrahentes oſtenderunt verum contrahendi animum. Ut bene *Sotus 4. d. 29. q. 2. ar. 1. ad fi.* at quando alter adjecit conditionem contrariam ſubſtantiæ matr. potius indicavit diſſenſum: unde copula non indicat receſſiſſe a conditione. Sicut eadem ratione quando ex communi conſenſu adjecta eſt conditio contraria, non cenſetur per copulam receſſum a conditione. Ut bene docent *Adrian. 4. q. 3. de matr. dub. 9. Cov. 4. decr. 2. p. c. 4. §. 1. n. 12. Ant. Cucus l. 5. inſtit. major. tit. 11. n. 114.*

DISPUTATIO XIV.

An ſponſalia vitientur etiam, ac reddantur nulla per conditionem contrariam ſubſtantiæ matr. & bonis ejus, ſicut vitiatur matrimonium.

SUMMARIUM.

Referuntur duæ ſententiæ, n. 1. & 2.
Sententia authoris, 3.

1 D*Iv. Thom. 4. d. 27. q. 2. ar. 1. corp. & D. Bonav. 4. d. 28. q. 3. n. 13. Durand. 4. d. 28. q. 2. n. 5. Ricar. 4. d. 27. art. 3. q. 2. Palud. d. 29. q. 2. art. 3. concl. 1 n. 16. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 28. §. 2. Sylv. verb. Sponſalia, q. 5. & ibi Roſella fine, Tabiena ibi, q. 2. n. 3. Turrecr. c. Ubi non eſt, 30. q. 2. art. 3. n. 4.* ajunt vitiari ſponſalia per conditionem ſubſtantiæ contrariam, ſicut & ipſum matrimonium. Idem *Angel. verb. Sponſalia, n. 18.* ubi ait idem judicandum eſſe de conditionibus appoſitis in ſponſalibus, ac de appoſitis in matrimonio.

2 At *Petr. de Led. de matr. q. 47. a. 5. dub. 6. quod movet circa ſolut. ad 9. f. 240.* ſic diſtinguit. Si illæ conditiones adjiciantur implendæ, antequam contrahatur matr. valent ſponſalia. Quia eæ conditiones tamquam turpes rejiciuntur, nec contrariantur matr. cum non referantur ad matr. tempus. Et poteſt confirmari: quia ideo conditiones contrariæ de præterito, vel præſenti, non vitiant matr. quia non contrariantur matr. contrahendo: ſi vero apponantur tamquam implendæ poſt matr. contractum, vitiant ſponſalia. Quia contrariantur matr. ad quod ea ſponſalia ordinantur.

3 Ceterum nec omnis conditio contraria matr. ſi antea implenda ſit, eſt turpis, ut rejiciatur, nec omnis ea etiam antea implenda, deſinit eſſe contraria. Et ideo ſic diſtinguendum eſt: quando conditio contraria ponitur tamquam implenda poſt matr. ſemper illud annullat, & ſic intelliguntur omnes DD. citati, n. 1. quando autem debet impleri ante, tunc ſi eſt contra inſeparabilitatem, ut Contraham tecum, niſi ante initum matr. aliam ditiorem, aut pulchriorem invenero: non vitiat matr. Quia ipſi non opponitur: cum non tollat matr. inſeparabilitatem: nec etiam opponitur ſponſalium naturæ, utpote quæ ſalubria ſunt. Nec etiam rejicitur tamquam turpis, quia non eſt talis, cum ad peccandum minime incitet: quare valida erunt ſponſalia, impleta ea conditione, & ea deficiente, erunt nulla. Si vero ſit conditio contra matr. fidem, ut, Si ante matr. forniceris: tunc valebunt ſponſalia, rejecta ea conditione tamquam turpi. Quia ea non contrariatur matr. cum ad fidem matr. ſolum pertineat, ne poſtquam translatum eſt dominium corporis in conjugem, alteri tradatur, ante matr. non eſt tranſlatum dominium: ſi vero adverſetur bono prolis, ut ſi ante matr. venena, quibus ſterilis efficiaris, ſumas, vitiat ſponſalia. Quia per eam conditionem obligatur ſponſus ad aliquid contrarium bono prolis, quod per illud matr. promiſſum intenditur: unde adverſatur futuro matr. promiſſo. Quare non eſt ſimile de conditione contraria de præterito, vel præſenti. Quia per illam minime obligatur ad aliquid matrim. repugnans: ut explicui hoc 5. l. diſp. 9. n. 6.

DISPUTATIO XV.

An conditio turpis, quæ non eſt contraria ſubſtantiæ matr. nec bonis ejus, ſuſpendat: aut habeatur pro non adjecta? ut Contraho tecum, ſi furtum admiſeris.

SUMMARIUM.

Talis conditio rejicitur, & manet purum matrimonium, numer. 1.
Proponitur objectio contra hoc, n. 2. Et refutatur quædam ratio ejus deciſionis, 3.
Traditur vera ratio, n. 4. Et non rejicitur, quando eſt de præterito, vel præſenti, 5.
Proponuntur, & ſolvuntur objectiones contra eam deciſionem, n. 6.

Et

Et ibi quando ex aliis conjecturis colligitur contraria voluntas, non rejicitur.
Ut rejiciatur, oportet utrique contrahenti conſtare conditionem eſſe turpem, & jure rejici, n.7. Et ſolvuntur arg. 8.

1 IN memoria revocandum eſt, quod diximus hoc l.5 d.1 n. 4. in foro conſcientię ſtandum eſſe intentioni contrahentis: at in dubio intentionis ſtandum eſſe præſumptioni fori externi, & definitioni Eccleſiæ: communiter autem adjiciuntur eo animo conditiones turpes, ut impleantur: quare iis non impletis, nec ſponſalia, nec matr. communiter obligabunt. Ut bene *Enriq.l.11. de matr.c.12.n.6.* Certum igitur eſt, conditionem turpem, ſicut & impoſſibilem adjectam matrim. haberi pro non appoſita, matrimoniumque manere purum. Sic enim definitur *cap. fin. de condit. appoſ.* concordat *lib.6. tit. 4. part. 4.*

2 Tota autem difficultas eſt, unde Eccleſia præſumat conditionem illam haberi non pro adjecta, & eſſe purum conſenſum. Nam Eccleſia nunquam præſumit eſſe verum matr. ubi ex ipſa forma contractus non apparet conſenſus, alias temerarie præſumeret, & abſque cauſa: at ex forma contractus ſub conditione turpi non apparet conſenſus abſolutus, ſed ſub illa conditione, & ſæpe petunt homines eam conditionem, ut ſi ſit carnalis copulæ, ut Contraham tecum, ſi mihi tui corporis copiam facias: ergo non eſt cur præſumat matrim.

3 Quidam enim aſſignant rationem: nam ſicut *c.Is, qui fidem, de ſponſ.* præſumebat Eccleſia matr. ex copula ſubſecuta poſt ſponſalia, ne fornicationis delictum præſumeret: ſic in hoc caſu ne peccatum inductionis ad malum præſumat, præſumit joco adjectam eſſe eam conditionem. Sed hæc ratio corruit: eo quod vitandam eſſe delicti præſumptionem eſt præſumptio generalis, quæ in omnibus rebus, ac contractibus locum habet, *l.Merito, ff.pro ſocio:* quare ſicut ea conditio rejicitur a matr. rejicienda eſſet a ceteris contractibus, ne oriretur delicti præſumptio: cujus tamen contrarium eſt verum; ut conſtat ex *tot.tit.ff. de condict. ob turp. cauſ.* & alias nil ſpeciale eſſe in matr. cum tamen Pontifex *d. c. finali*, aſſerat rejici a matr. ob favorem ipſius. Item quia adhuc ceſſat delicti præſumptio: inducere enim etiam abſque intentione alliciendi ad malum, eſt peccatum ſcandali, præbens alteri occaſionem ruinæ: cum ignarus ſit an joco, vel vero animo adjicias conditionem.

4 Quare vera ratio eſt, cur Eccleſia excludat eam conditionem: quia ad peccandum incitat: quare cenſetur impoſſibilis, id enim poſſumus quod juſte poſſumus, *l. Nepos Proculo 125. ff. de verb. ſignif.* Sic *Sotus 4. diſt. 29. q.2. art.3. paulo poſt princip. concl.2. Greg.Lop. lib.6. verb. Si furtares, tit. 4. part. 4. Palacios lib. 5. de contract. cap. ult. f.498. verſ. Quam ob rem dixerim, Enriq. lib.11. de matrim. cap. 12. nu. 6. Barth. a Ledeſ. dub. 25. de matr. concl. 9. Lud. Lop. 2. part. inſtruct. novi materia de matrim. cap. 43. ad fin.*

5 Hinc infertur, non rejici conditionem turpem, quando eſt de præſenti, aut præterito: ut Contraho tecum, ſi es inimica Petri: vel ſi hominem occidiſti, illaque verificata valere matrimonium; ſecus autem non, & ratio eſt: quia non inducit ad aliquid turpe faciendum, ſed factum eſſe ſupponit. Ita docent *D. Th. 4. diſt. 29. qu. unica, art. 3. quæſtiunc. 3. & ibi Paludan. q. 2. art. 5. num. 28. Adrian. 4. quæſt. 3. matrim. dub. 9. §. Reſpondeo ad 1. quod major. verſ. Ad tertium dico. Palacios lib. 5. de contract. cap. ultim. f. 498. verſ. Quamobrem dixerim, Enriq. lib. 11. de matr. cap. 12. n. 7. Lud. Lop. 2. part. inſtr. novi materia de matr. cap. 42. fin.* Quamvis *Victoria ſumm. materia de matrim. n. 260.* cenſeat juxta deciſionem *dict. cap. fin.* haberi pro non appoſita in foro externo conditionem turpem de præſenti, aut præterito. Sed omnino tenendum eſt quod dixi. Et ex Juriſperitis, eamdem ſententiam tenent *Sylv. matr. 3. q. 1. fine, Alex. de Nevo, cap. De illis, num. 16. de condit. appoſ. Cov. 4. decret. 2. part. cap. 3. §. 2. num. 2 Greg. Lop. lib. 6. verb. Si furtares, t. 4. p. Alex. Carrerius lib. 4. de ſponſ. cap. 5.* habetur *tom. 9. tractatuum.*

6 Ceterum hæc ratio deciſionis *d.c. fin.* patitur aliquot difficultates. I. eſt: quia cum ſimiliter incitet ad peccandum appoſita conditio turpis de futuro in aliis contractibus, ſimiliter eſſet rejicienda: cum tamen text. *d.c.fin.* aſſerat rejici favore matr. ſicut ſimiliter rejicitur favore ult. voluntatis, *l. Reprehendenda, C. de inſt. & ſubſt. & l.3. tit.4 p.6.* Item, quia ſimiliter conditio contraria ſubſtantiæ matr. ut, Si te adulterandam proſtitueris, incitat ad peccandum, & tamen non rejicitur, ſed vitiat matr. ut dicitur *eod.c.fin.* ergo non ideo rejicitur conditio turpis, quod ad peccatum incitet. Verum his non obſtantibus, ſuſtinenda eſt ratio propoſita: & ad primam objectionem, dico, eum eſſe favorem matr. quia ſacramentum quoddam eſt, & res tanti momenti, ut ſicut ab eo jus excludit conditiones vere impoſſibiles, ita etiam quæ moraliter ſunt impoſſibiles, eo quod ſine peccato ad quod incitant, impleri non poſſunt. Item, quia eo quod matrim. eſt contractus favorabilis, in dubio oportet conſervari, ut valeat *c.fi. de ſent. & re judic.* Quare cum dubium ſit, an eæ conditiones ſerio, & animo non aliter contrahendi adjectæ fuerint, an ſolum joco, præſumit Eccleſia in hoc dubio, joco adjectas, & non animo ſuſpendendi, & ita judicat matr. eſſe validum, ac pure contractum eſſe. Unde fit, ut ſi ex aliis conjecturis deprehenderetur non aliter contraxiſſe, quam ſub ea conditione, & non aliter voluiſſe, in utroque foro judicabitur non eſſe matr. purum. Ut docet optime *Cov.4.decr.2.p.c. 3.§.2.n.5.* Quod idem docuimus hoc lib.5. d.3.n.17. de conditionibus impoſſibilibus, & id explicuimus conjecturas, quia deciſio *d.c.fin.* locum obtinet, ubi dubium eſt de contrahentis intentione. Et quamvis eadem ratio militet in ceteris contractibus: quia tamen tantæ ſanctitatis non ſunt, nec ita favorabiles, non excludit eas conditiones ab aliis contractibus. Ad 2. objectionem, dico, diſparem eſſe rationem: quia ubi adjicitur conditio contraria ſubſtantiæ matr. jam non eſt dubia contrahentis intentio, nam eo ipſo quod eam conditionem adjicit, eſt manifeſtum diſſenſus ſignum.

Sed adhuc animus non quieſcit, nec videtur exhauſta difficultas. Quia eſto legitima ratio ſit, cur Eccleſia excludat conditiones turpes, & habeat pro non adjectis: quia incitant ad peccandum, non tamen apparet unde præſumat animum contrahentis fuiſſe, abſolute, & pure contrahere ſecluſa conditione: cum ſæpe conditio illa ſit de re appetibili, ut de concubitu carnali, & ut plurimum adjicientes eam conditionem, velint omnino eam impleri: & ex altera parte Eccleſia minime poſſit conſenſum ad matr. requiſitum ſupplere. Sed dico id decretum intelligendum eſſe, modo contrahentes norint conditionem eſſe turpem, ſi enim honeſtam eſſe crederent, non rejiceretur, ſed ſortiretur naturam aliarum conditionum honeſtarum, ut impleta conditione, & non aliter obligatio, aut matr. aut ſponſalium conſurgeret: ſicut hoc lib.d.3.n.8. diximus de conditione impoſſibili oportere, ut contrahentes norint eſſe impoſſibilem, & ibi probavimus. Ita *Adrian.4.q.3.de matr.dub.7.Cov.4.decr.2.p.c.3.§.2.n.6.Lud.Lop.2. p.inſtr.novi materia de matr.c.43.f.1095.* Oportet etiam ut eædem conditiones habeantur pro non adjectis, ut uterque contrahens norit jus eas rejicere, & habere pro non adjectis: ut probavimus eadem d.3.n.11. & 12. de conditionibus impoſſibilibus: eodem enim tenore rejiciuntur, ac impoſſibiles *d.c.fin.* Et præterea, quia (ut dixi hoc l.5. d.4.n.6.) habet locum id decretum non tantum in conditionibus impoſſibilibus a natura, ſed etiam in impoſſibilibus de jure: & hæ turpes ſunt de jure impoſſibiles: quare eodem modo philoſophandum eſt de illis, ac de impoſſibilibus: quo ſuppoſito, jure optimo Eccleſia, dum ipſi non conſtat de oppoſita intentione, ſed contrahentium intentio dubia eſt, cum ipſi norint ab Eccleſia rejici, præſumit voluiſſe contrahere, pure, juxta Eccleſiæ mentem, & joco, ac non animo ſuſpendendi contractum adjeciſſe prædictas conditiones: ut dixi d. diſp. n. 18. Et ita tenerit *Alex.Carrer. de ſponſ. l.4.c.5.* (habetur *to. 9. tract.*) dicens requiri, ut ſciat ab Eccleſia haberi pro non adjectis, & tunc præſumi conſenſum. 7

Ad arg. num. 2. propoſitum, fateor ex forma contractus præciſe ſumpti apparere non aliter eſſe conſenſum, niſi eveniente ea conditione, at ſuppoſita in contrahentibus ſcientia decreti Eccleſiæ rejicientis tales conditiones, dum aliter de oppoſita intentione non conſtat, ſed dubia eſt, merito præſumit Eccleſia matr. contractum eſſe ſecundum intentionem Eccleſiæ eas conditiones rejicientis. 8

DISPUTATIO XVI.

Quid dicendum ſit de his conditionibus, Si mecum concubueris, contraham tecum, vel, Si te virginem invenero, vel in primo concubitu mihi placueris, an, ſcilicet tamquam turpes rejiciantur?

SUMMARIUM.

De hac conditione, Si mecum concubueris, referuntur duæ ſent. n. 1. & 2. Et ſent. authoris, nu. 3. Et quid, de hac conditione, Si permiſeris coitum, 4.
De hac conditione, ſi te virginem invenero, ſi in primo coitu mihi placueris, referuntur duæ ſent. n.5. & 6.
Sentent. authoris circa conditionem, Si te virginem invenero, num. 7. Et circa conditionem, Si in primo coitu mihi placuerit, 8.
Quid, ſi aliquis dicat, Contraham tecum, vel dabo tibi centum, ſi mecum concubueris, & an per copulam videatur receſſum a conditione, 9.

PRimo de hac conditione, Si mecum concubueris, contraham tecum: aliqui cenſent eam conditionem non eſſe turpem, ac proinde ſuſpendere contractum, Quia initio copulæ hæc ſponſalia pure contingunt, & conſequenter ante perfectam copulam efficiuntur matr. per *c.Is qui fidem de Sponſ.* Sic *Cov.4.decr.2 p.c.3.n.13.Ant.Cucus lib.5. inſtit.major.t.11.n.51.* Sed hoc ſi verum eſt, locum habere poterat ante Conc. Trid. ſecus poſt, cum jam ſponſalia non tranſeat in matr. per copulam, & ſic conditio illa turpis eſt. 1

Alii vero cenſent, eam conditionem non ſuſpendere ſponſalia. Quia aut de concubitu illicito, & fornicatio intelligitur, & tunc non ſuſpendit, ſed tamquam turpis rejicitur: aut de concubitu licito, & matrimoniali, & tunc non ſuſpendit: quia jure ipſo ineſt: cum conjuges mutuo ſibi debitum reddere teneantur. Sic *gloſſ. cap. 1. de ſponſa duorum, verb. Permiſerit, Anton. num.6. Anchar. fine, Abbas num.6. Præpoſ. num. 4. D. Anton. 3. part. tit. 1. cap. 19. § 5. ad fin. Roſella matrimonium 5. num.7. Angel. matr. 3. imped. 3. num. 9. Sylv. matr. 3. q. 7. Tabiena matr. 2. qu. ult. Brunel. de ſponſal. cap. 33. num. 6.* habetur *tom. 9. tract.* 2

3 Melius tamen alii opinantur, dicentes, ſi intelligatur de concubitu turpi, rejici tamquam turpem: & manere ſponſalia abſolute, ſi vero de concubitu licito, & matrimoniali, ſuſpendere uſque ad eventum. Quia cenſetur alio modo appoſita quam jure inſit: jure enim poſt contractum matrim. datur bimeſtre: at ea conditio intelligitur, ſi ſtatim inito matr. feceris tui corporis copiam. Sic *Card. cap. 1. de ſponſa duorum, n.3. & ibi Alex. de Nevo, n.9. & 10.* Quamvis hi non reddant rationem dictam: ſed quia ea conditio non intelligitur in ſponſalibus, ſicut in matr. Sed præſtat noſtra ratio, ob quam hanc ſent. amplectuntur, *Adrian.4.q.3.de matr. dub. 8. Sotus 4.d.29.q.2. art.3. poſt 3.concl. verſ. Cenſent enim, Navar.* nulla aſſignata ratione, *ſumma Latin. & Hiſp. c.22.n.65.*

4 Hinc fit, ſi contractus celebratur per verba de præſenti ſub prædicta conditione, ut Contraho tecum, ſi permiſeris coitum, & intelligatur de coitu turpi, ſtatim eſſe matr. cum rejiciatur conditio: ſi vero de matrimoniali, perficit impleta conditione. Sic *Sylv.matr.3.q.7.Nav.nu.præced.tit.*

5 Rurſus de illa conditione, Si te virginem invenero, contraham tecum: vel, Si in primo coitu mihi placueris: aliqui dicunt rejici tamquam turpem, & ſic manere ſponſalia pura. Sic *gl. cap.Per tuas, verb. Præſumendum, de condit. appoſ. & ibi Jo: Andr. n. 7. Ant. n. 8. Anchar. n.7. Abbas n.7. Specul. tit. de condit. appoſ. in princ. nu.10. Innoc. c. De illis, nu. unic. de condit. appoſ.* ubi *Alex. de Nevo nu. 2. & cap. 1. de ſponſa duorum, num.12. Montalvus l.6. fin. tit.4.p 4. Spino ſpeculo teſtam. gloſſ. 15. princip. num. 64.*

6 Alii vero cenſent non eſſe conditionem turpem, atque ita non rejici, ſed ſuſpendere contractum, quamvis intelligatur, ſi per coitum invenero te virginem. Quia ea conditio non fertur ſuper actum turpem, ſed ſuper honeſtam virginitatis conditionem. Sic *Sotus 4.d.29.q.2.art.3.poſt 3.concl.verſ. His nihilominus non obſtantibus.*

7 Verius tamen eſt, ſic diſtinguendum eſſe, de ea conditione, ſi te virginem invenero, ſi intelligatur per aſpectum matronarum, vel aliam juſtam indaginem, non rejici, ſed ſuſpendere. Quia eſt conditio honeſta. Si vero intelligatur per concubitum, eſſe turpem. Quia incitat ad peccandum: & quamvis conditio virginitatis honeſta ſit, at quando apponitur, ac turpiter exploranda, eſt turpis, & inhoneſta: unde merito ea rejecta remanet contractus purus: Sic *Card. c. Per tuas, n.4. de condit. appoſ.* ubi *Alex. de Nevo, n.9. & 11. Præpoſ. n.6. Aretin. conſ. 82. col. penult. Roſella matr. 5. n. 8. Angel. matr. 3. impedim. 3. num. 7. Sylv. matrim. 3. qu. 8. Navar. ſumm. Latina & Hiſp. cap. 22. nu. 66. Covar. 4. decret. 2. p.c. 3. §. 2. nu. 12. Tab. matrim. 2. q. 11. nu. 12. Anton. Cucus lib. 5. inſtit. major. t. 11. n. 51.* Et ex Theologis, *Pet. de Soto lect. 3. de matr. ad fi. Enriq. l. 11. de matr. c. 12. n. 6. Lud. Lop. 2. p. inſtruct. de matr. cap. 43. ad fin. & cap. 42. fol. 1087. & ſeq. Bart. a Ledeſ. dub. 25. de matr. poſt 10. concl. Philiarc. de offic. ſacerd. tom. 1. part. 2. lib 2. c. 1. Petr. de Ledeſ. de matr. q. 47. art. 5. dub. 3. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. cap. 244. concl. 8. n. 8.*

8 Hinc fit, eam conditionem, Si mihi in primo concubitu placueris, rejici tamquam turpem. Quia ſemper eſt talis concubitus ſub ea conditione experiendi, an placeat femina, numquam potuit eſſe matrimonialis: cum animus eſſet anceps, ſecus de illa conditione, Si mecum concubueris. Quia poteſt concubitus eſſe illicitus, ut ſi ante matr. vel licitus, ut ſi intelligatur ſtatim matrimonio contracto.

9 Tandem ſi quis dicat, Contraham tecum, vel dabo tibi centum, ſi mecum cojeris, non erunt ſponſalia, nec matr. ſecuta copula, nec per eam videtur receſſum a conditione. Quia habet electionem vel ducendi eam in uxorem, vel dandi centum: juxta *reg. In alternativis, de reg. jur. in 6.* nec hęc facultas eligendi tollitur per carnalem copulam ſubſecutam: quia hoc nullo jure cautum reperitur. Sic *Sylv. matr. 3. q. 7. Angel. matr. 3. imped. 3. n.8. Everard. in ſuis topicis, loco a natura alternativorum, nu. 1.* & alios refert. Et ex Theologis, *D. Anton. 3. p. t. 1. c. 19. §. 5. ad finem.*

DISPUTATIO XVII.

An ſicut conditiones turpes, & impoſſibiles rejiciuntur a matrim. ita etiam rejiciatur a ſponſalibus.

SUMMARIUM.

Refertur opinio quædam dicens non rejici, num. 1. Et vera opinio contraria, 2.
Solvuntur argumenta, 3.

1 HAnc quæſtionem movet *Pet. de Led. de matr. q.47. ar.5. ad fin.* & refert aliquos Theologos doctiſſimos ex Salmantina ſchola ſenſiſſe non rejici a ſponſalibus: & ipſe dicit hanc ſent. eſſe probabilem: at contrariam longe probabiliorem. Ducuntur 1. quia ſecluſo jure Eccleſiaſt. habentes eas conditiones pro non appoſitis, non rejicerentur conditiones impoſſibiles, ſed annullarent, & turpes ſuſpenderent matr. ergo jus Eccleſiaſt. id ſtatuens tamquam correctorium juris naturalis, & divini, eſt reſtringendum. Quæ enim a jure communi exorbitant, reſtringenda ſunt, *reg. quæ a jure communi, de reg. jur. in 6.* Cum ergo *c. fin. de cond. appoſit.* ſolum in matr. ſtatuat eas conditiones rejici, extendendum minime eſt ad ſponſalia. Secundo quia *d.c.fin.* aſſerit Pontifex rejici favore matr. at ſponſalia non ſunt in jure favorabilia, ſicut & matr. ut conſtat nam *in c. Series, & c. Cum in tua, de teſtib. & atteſt.* deciditur poſſe poſt publicatas atteſtationes recipi teſtes ad improbandum impedimentum objectum contra matr. contractum. Quod eſt in matr. favorem, ut notat *gl. c. Juravit, verb. Patrib. de probat. & ibi Abb. n. 2.* & tamen in ſponſalibus non admittuntur teſtes publicatis atteſtationibus: ut habetur *d. c. Juravit*, docentque ibi *gl. verb. Patribus Abb. ibi, num. 2.* & omnes. Cum ergo ſponſalia non ſint favorabilia, ac matrim. favor conceſſus *d. cap. fin.* matrim. non eſt extendendus ad ſponſalia.

Fateor, rationes has urgentes eſſe, ni ex alia parte invenirem concordem omnium DD. ſent. tamquam quid indubitatum ſupponentium rejici conditiones turpes ac impoſſibiles, tam a matr. quam a Sponſalibus: A qua receptiſſima ſent. nullo pacto recedendum eſt. Cujus ratio eſt, quia ſponſalia ſunt initium quoddam matr. atque ita diſpoſitum in matrim. cenſetur diſpoſitum in ſponſalibus, *l. Oratio, ff. de ſponſal.* & quamvis fatear hanc rationem non multum urgere, & facile dilui poſſe: ut ea, adjuncta communi omnium DD. intelligentia illius *c. fin.* & ita ab initio receptum eſſe, fortiſſime urget. Et ita conditiones turpes pariter rejici a ſponſalibus, ut Contraham tecum, ſi mecum cojeris, intelligendo de coitu turpi, vel Si te invenero virginem, intelligendo turpiter: attuli diſp. præc. n. 5. 6. & 7. multos authores concorditer id tamquam notiſſimum ſupponentes, & ſolum inter illos eſt diſcordia, quando illa conditio turpis ſit. Et præter illos id docent *D. Th. 4. d. 27. q. 2. a. 2. corp. D. Bonav. 4 d. 28. q. 3. n. 13. Ricard. 4. d. 27. a. 3. q. 2 D. Ant. 3. p. tit. 1. c.18. §. 2. Turecr. c. Ubi non eſt, 30. q. 2. art. 3. n. 4. Palud. 4 d. 29. q. 2. art. 5. concl. 7. n 36. Sylv. verſ. Sponſalia, qu. 5. Roſella ibi fine, Tab. ibi, q. 2. n. 3. Lud. Lop. 2. p. inſtruct. novi materia de matr. cap. 42. fin.* Et *Roſella, Sylv. Tabiena ibi, cum Angelo verb. Sponſal. n. 18.* dicunt circa conditiones, eodem omnino modo judicandum eſſe de ſponſalibus, ac de matr. Et præterea rejiciendas eſſe tam a matrim. quam a ſponſalibus conditiones impoſſibiles, & turpes docent *Lex fin. t. 4. Adrian. 4. materia de matrim. q. 3. dub. 7. verſ. Reſpondeo in foro judicii: Palud. 4. d. 29. qu. 2. art. 3. concluſ. 7. nu. 22. D. Ant. 3. part. tit. 1. cap. 19. §. 5. paulo poſt principium, Sotus 4. d. 29. q. 2. art. 2. verſ. Mens ergo Pontificis, Viguerius lib. inſtit. cap. 16. §. 7. verſ. 6. ad finem, Philiarchus de offic. ſacer. to. 1. p. 2. l. 2. c. 1. §. Tres conditionum, Barth. a Ledeſ dub. 25. de matr. concl. 7.* 2

Ad arg. propoſita, n. 1. reſp. Ad 1. dico: quando decretum correctorium non eſt in pęnam, nec in alicujus odium, ſed declaratorium voluntatis, ob bonum commune, & favorem contractus, extendi debere ad caſum ſimilem, & in quo ſimilis ratio militat: at *cap. fin.* non ſtatuit rejici conditiones impoſſibiles, ac turpes a matr. in odium, & pœnam adjicientium: nam ſimiliter rejiceret a ceteris contractibus: ſed id definit favore matr. ut potius conſervetur, quam pareat: ut ibi dicitur: cum ergo ſponſalia, diſpoſitio ad matr. & via ſint, idem favor ad ea extendi debet: expedit enim ad matr. bonum conſervari ſponſalia. Ad 2. dico non probari ex iis textibus, ſponſalia non eſſe contractum favorabilem, ſicut eſt matr. nam etiam in matr. non ſemper publicatis atteſtationibus admittuntur alii teſtes: quare *d. cap. Cum in tua*, non abſolute id definitur, ſed cum limitatione, ſcilicet, in hoc caſu, & notat *ibi gl. verb. In hoc caſu*, id eſt, cum probata eſt conſanguinitas, vel alium impedimentum contra matrim. jam celebratum, poteſt altera pars publicatis atteſtationibus id impedimentum improbare: ſecus in aliis caſibus. Et ratio eſt, ut docet *gl. cap. Juravit, verb. Patribus, de probat. & ibi Abbas n. 2.* quia in diſſolvendis ſponſalibus non ſubeſt animę periculum, cum poſſint etiam mutuo conſenſu diſſolvi, ſicut ſubeſt in diſſolvendo matr. contracto. Quare ut bene ait *Abbas* quando in ſponſalibus ſubeſt ſimile periculum animæ, admittuntur etiam teſtes poſt publicatas atteſtationes: ut ſi impedimentum contra ſponſalia nondum probatum eſſet, & publicatis atteſtationibus producerentur teſtes ad id probandum, admitterentur utique, ne ſequatur animæ periculum, ſi impediti perficerent ſponſalia, per matr. 3

DISPUTATIO XVIII.

An conditiones impertinentes habeantur pro non adjectis in matrim. vel potius illud ſuſpendant?

SUMMARIUM.

Refertur opinio dicens rejici, n. 1. Et ita rejici hanc conditionem, Si es pulchra, bene morigerata: ſecus ſi non es cęca, cocles, aut alia inſigni fœditate notata, n. 2.
Opinio contraria authoris, n. 3. Et ſolvuntur arg. 4.

ALiqui cenſent rejici. Idque nullo jure, aut ratione probant. Sed in gratiam eorum poteſt adduci, tales conditiones turpes videri: turpe enim apparet contractui tam ſancto, & qui ſacramentum eſt, impertinentem conditionem adjicere. 1

Sic

Sic tenent *Sotus 4.d.29.q.2. art. 3. paulo poſt princ. concl.2. Barth. a Ledeſm. dub. 25. de matr. concl. 9.* Et videntur tenere *Roſella v. Sponſalia, fine, & ibi Sylv. q. 5. D. Anton. 3. p. t. 1. c. 18. §. 2.* ubi aſſerunt, ſi conditio ſit honeſta, vel utilis, valere conditionem: unde oppoſitum videntur ſentire, quando eſſet inutilis, atque impertinens.

Hinc inferunt *Sotus eo art. 3. poſt 3. conc. verſ. Tandem quod de virginitatis, & Barth. a Led. eo dub. 25. concl. 3. Lud. Lop. 2. p. inſtr. novi materia de matr. c. 43. fin.* ſi quis contrahat cum aliqua, hac conditione, Si non es cæca, muta, cocles, leproſa, aut alia inſigni turpitudine deformata, vel hanc edocta es artem ad alendam vitam: validas eſſe hujuſmodi conditiones. Quia ſunt honeſtæ, multumque ad perpetuam cohabitationem, & generationem conducunt: ſecus ſi minus ad matr. finem conducerent: ut Si es pulchra, aut bene morigerata. Quia non ſunt admittendæ in foro Eccleſiæ hujuſmodi conditiones tamquam matr. annullantes, ſi non verificentur.

3 Ceterum nullo modo placet hæc ſent. ſed cenſeo hujuſmodi conditiones ſuſpendere contractum matr. nec aliter eſſe validum, niſi illis ſtantibus. Prob. quia omnis conditio jure non improbata poteſt apponi matrimonio; ut colligitur a contrario ſenſu, ex *cap. Super eo, de condit. appoſit.* ibi, *ac conditionem ipſam canonica non improbent ſtatuta*. Et ita per eum text. docet *ibi Abb. n. 4. Alex. de Nevo, n. 6. Lancelot. inſtit. juris canon. l. 2. tit. de ſponſ. §. Sponſalia contracta ſub conditione, verſ. Sub conditione*: ſed hæ conditiones impertinentes, nullo jure reprobantur: ergo poſſunt valide apponi. Prob. minor, quia *c. fin. de condit. appoſ.* rejicit conditiones turpes, quia incitant ad peccandum, (ut diximus hoc 5. lib. diſp. 13. n. 4. & 5.) ſed conditio impertinens ad nullum peccatum inducit: ergo nullo modo eſt rejicienda. Pro hac ſent. eſt *Henric. cap. fin. n. 4 de appoſit.* ubi ait hanc conditionem, ſi navis ex Aſia venerit: ſuſpendere matr. Pro eadem ſunt DD. quos hoc 5. lib. diſp. 2. num. 7. retuli aſſerentes conditiones, quæ non ſunt neceſſarię a natura, ut ſi Antichriſtus naſcetur, ſuſpendere matr. quæ tamen impertinentiſſimæ ſunt ad matrimonium.

4 Ad arg. propoſitum nu. 1. dico, quamvis conditionem impertinentem adjicere matr. culpa aliqualis ſit, non tamen eſt ex turpibus: quæ rejiciuntur a matr. quia non obligat, neque incitat alterum contrahentem ad aliquod peccatum in futurum admittendum, qualis eſt illa, ſi furtum feceris. Ut docet *Cov. c. Cum tibi, n. 13. verſ. Hæc tamen de teſtam.* in alio ſimili: dicit enim hanc inſtitutionem, Inſtituo te hæredem, ſi me cohæredem inſtituas, eſſe turpem, & captatoriam: at eam conditionem minime eſſe turpem, quia nullibi prohibetur hæres hic inſtitutus teſtatorem hæredem inſtituere.

DISPUTATIO XIX.

An idem quod de conditionibus eſt dictum, cenſendum quoque ſit de modo, & demonſtratione, & cauſa, ita ut ſi hæc contrarientur matrim. illud vitient: ſi ſint honeſta, illud ſuſpendant: ſi turpia, aut impoſſibilia, rejiciantur.

SUMMARIUM.

Referuntur opinio aſſerens demonſtrationem, & cauſam vitiare matr. quando adverſatur ejus ſubſtantiæ, n. 1.

Opinio authoris, nunquam vitiare qualiſcumque conditionis ſint, nec ſuſpendere, ſed ſtatim valere matr. niſi adſit error conditionis ſervilis, aut perſonæ, 2.

Quid ſi apponatur per modum conditionis; num. 3. Et ibi, explicatur quando demonſtratio, & cauſa cenſeantur conditiones.

Circa modum refertur opinio, dicens, non vitiare matr. quamvis ejus ſubſtantiæ adverſetur, 4.

Modus contrarius ſubſtantiæ matr. ipſum annullat, 5.

Reprobatur quædam concordia, qua hæc opinio, & contraria conciliantur, 6.

Modus ſi impoſſibilis, vel turpis, omnino rejicitur, ſicut conditio, 7.

Modus ſi ſit neceſſarius, habetur ſtatim pro impleto, 8.

Modus honeſtus, & poſſibilis non ſuſpendit matr. ſed ſtatim eſt validum, n. 9. Et ibi, an alter teneatur modum ſervare. Refutatur quædam opinio circa modum honeſtum, 10.

Si ſponſalia contrahantur in diem, ſunt ſtatim abſoluta, quamvis ante adventum diei non obligent, 11.

Solvuntur argumenta, 12.

1 QUid ſint modus, demonſtratio, & cauſa, qualiterque differant: dixi hoc 5. l. d. 1. n. 2. Circa demonſtrationem *Nav. ſum. c. 22. n. 62.* ait, quamvis demonſtratio, & cauſa, nunquam ſuſpendant matr. annihilare tamen, quando ſunt contra ſubſtantiam, & matr. bona: & videntur favere *D. Thom.* reliqui DD. citati hoc 5. l. diſp. 9. n. 6. aſſerentes annullare matr. ipſi repugnantem conditionem, quamvis ſit de præſenti, cum tamen illa non ſit proprie conditio, ſed demonſtratio. Fundamentum ſuæ ſent. nullum affert *Nav.* ſed poteſt eſſe: quia eo ipſo quod non abſolute, ſed ſub ea cauſa, & demonſtratione conſentit, quæ ſubſtantiæ matrim. adverſatur, non videtur abſolute conſentire in matrim.

2 Ceterum omnino tenendum eſt, demonſtrationem, vel cauſam per ſe ſumptam, nunquam ſuſpendere, nec vitiare matr. cujuſcumque ſit qualitatis, ſive ſit turpis, ſive contraria ſubſtantiæ matr. ſive vera ſit, ſive falſa: ſed ſemper habetur pro non adjecta, ac firmum manere matr. Ut Accipio te, quæ vel quia es ſterilis, vel quia procuras venena ſterilitatis, &c. Prob. 1. quia falſa demonſtratio non vitiat legatum, *l. Falſam, 35. ff. de condit. & demonſtr.* ergo nec matr. quod eſt favorabilius. 2. Quia quæ matr. variant, vel vitiant, debent ad ſubſtantiam, ſeu vim contractus ſpectare, ſed demonſtratio, & cauſa non ſpectant ad ſubſtantiam conſenſus contractus matr. ſicut ſpectat conditio, ſed tantum pertinent ad opiniones rerum, quas contrahentes conceperunt, vel ad cauſas, quæ ad contrahendum ipſos movent: ergo nullo modo variant matrim. Et confirm. quia error demonſtrationis, aut cauſæ, qualiſcumque ſit, non vitiat matr. niſi ſit error perſonæ, aut conditionis: ut ſuo loco dicemus: non enim tollit conſenſum abſolutum. Tandem, quia demonſtratio, aut cauſa non ſe habet ut objectum, vel pars objecti contractus, ſed antecedenter, & quaſi motivum: ergo non irritat. Sic *Palud. 4. d. 29. q. 2. art. 1. concl. 1. n. 5. & art 2. concl. 1. n. 11. D. Ant. 3. part. tit. 1. cap. 19. § 5. paulo poſt princ. Sylv. matr. 3. q. 12. Sotus 4. diſt. 29. q. 2. art. 1. Lud. Lop. 2. part. inſt. novi materia de matr. cap. 42. paulo poſt princ.* Idem colligitur ex *Angelo matr. 3. impedim. 3. fin. Roſella, matr. 3. num. 9. Tabiena matr. 2. quæſt. ult. Petr. de Ledeſm. de matrim. quæſt. 47. art. 5. dub. 3. fin.* ubi generaliter dicunt, matrim. non vitiari ex falſa demonſtratione, aut cauſa. Dixi per ſe, quia ſi reducatur ad perſonæ, aut conditionis errorem, annullabit matrimonium. Ut Contraho tecum, quia, vel quæ es libera, vel primogenita Petri, ſi non eſſet libera, aut filia primogenita, eſſet nullum matrimon. non ratione falſitatis cauſæ, aut demonſtrationis, ſed ratione erroris perſonæ, aut conditionis. Quia, quamvis ea cauſa, aut demonſtratio non adjiceretur, adhuc ex tali errore contractum matrim. invalidum eſſet: unde deſervit demonſtrationis aut cauſæ oppoſitio ad transferendum probationis onus in alterum. Ut Contraho tecum, quia, vel quæ es libera, tenetur femina probare eum ſciviſſe eſſe ancillam. Sic *Sotus ea concluſ. 1, Paludan. eo. art. 1. concluſ. 5. num. 9.*

Intellige tamen, quando apponuntur per modum cauſæ, aut demonſtrationis, nam ſi apponatur per modum conditionis, judicandum eſt de illis, ſicut de conditionibus. Ut, Contraho tecum, quæ dabis tantam dotem: tunc licet videatur demonſtratio, at eſt ſenſus conditionalis. Sic *Palud. eod. art. 1. concl. 2. n. 6.* & ſubdit *art. 2. concl. 2. nu. 12.* ſi cauſa adjiciatur in futurum, ut Contraho tecum, quia dabis tantam dotem, eſſe quaſi modum. At *Sylv. & D. Ant. cit. num. præced.* ajunt, Contraho tecum, quia dabis, non ſuſpendere: & ita ſentiunt non eſſe conditionem: alias ſuſpenderet. Sed melius *Sotus, & Lud. Lop. ibid. citati*, dicunt, quando demonſtratio, aut cauſa adjiciuntur per verbum futuri, eſſe dubium ſenſum, aut enim referunt conditionem, & tunc faciunt ſenſum, Si dederis, & tunc judicandum eſſe ſicut de conditionibus: ſi enim honeſtæ ſunt, ſuſpendent: ſi turpes, aut impoſſibiles, rejicientur: ſi contrariæ ſubſtantiæ matrimonii, illud annullabunt: aut tantum important credulitatem contrahentis, & tunc manere intra limites demonſtrationis, aut cauſæ, quare nullo modo ſuſpendent: nec vitiabunt matrimon. ſicut dictum eſt. 3

De modo autem major eſt difficultas. Quidam enim aſſerunt modum contrarium ſubſtantiæ, aut bonis matrimonii, ipſum non annullare; ut Contraho tecum, ut venena ſterilitatis procures, vel ut te adulterandam tradas. Prob. quia modus in hoc diſtat a conditione, quod conditio ſuſpendit actus perfectionem, ita ut ante ipſius implementum validus minime ſit: at modus non ſuſpendit, ſed advenit actui perfecto, ſtatimque valet actus, & alter obligatus manet ad modi implementum. Ut dono tibi equum, ut facias hoc, valet ſtatim donatio, & tenetur donatarius implere modum, *lib. 1. 2. & fin. C. de donat. quæ ſub modo.* Et docent ſpecialiter *Bartol. l. Quibus diebus, §. Termilius, ff. de condit. & demonſt.* Item quia modus non ad naturam contractus ſpectat, ſed ad finem intentum per contrahentem. Sic docent *Barth. auth. Ingreſſi, C. de ſacroſanct. Eccleſ. num. 29. Jacob. Butrigarius ibi, Paulus a Caſtro ibi, num. 14. Alberic. num. 15. Salicet. num. 5. verſ. Tertio caſu, Jaſon num. 39. Anton. cap. fin. num. 8. de condit. appoſ.* ubi *Præpoſ. num. 8. & 9. Roman. lib. 1. §. Si ſtipulanti, num. 21. ff. de verb. obl. Jo: Imol. l. Ubi ita donatur, num. 4. ff. de donat. cauſa mort. Sotus 4. d. 29. qu. 2. art. 1. concl. 1.* Ejuſdem ſententiæ videntur alii indiſtincte aſſerentes matrimon. contractum ſub modo, ſtatim valere, ac ſi modus adjectus non eſſet. Hi ſunt *Verveccius*, quem refert, & ſequitur, *Roſella matrim. 5. num. 9. Tabiena matrimonium 2. quæſt. ult. Petrus de Ledeſm. de matrim. qu. 47. ar. 5. dub. 3. fine.* 4

I. Concluſio ſit. Modus contrarius ſubſtantiæ, aut bonis matrim. ipſum annullat, ſicut & conditio contraria. Prob. ex *c. fin. de condit. appoſ.* ubi habetur, hanc conditionem contractui matrim. adjectam, Contraho tecum, donec pulchriorem inveniam, ipſum vitiare tamquam ejus ſubſtantiæ contrariam: & tamen eſt eadem ratio de hac conditione, & de modo; nam ſicut modus non ſuſpendit diſpoſitionem, ſed advenit diſpoſitioni perfectæ, ita hæc conditio: ergo ſimiliter modus contrarius ſubſtantiæ 5

ſtantiæ vitiabit. 2. Prob. ex *l. Per ſervum 14. §. 1. junct. l. ſeq. ff. de uſu & habita* ubi ſi uſus fructus legetur abſque uſu, diſtinguitur, an in eadem oratione eodemque contextu legatum fiat, ut tunc legatum ſit inutile: eo quod inutilis ſit uſus fructus abſque uſu: vel in diverſa oratione fiat, tunc enim valet legatum uſusfructus, rejecta uſus ademptione: ergo ſimiliter quando eodem verborum contextu contrahitur matrimonium ſub modo repugnanti & incompatibili, vitiabitur matrim. Secus quando matrim. jam contracto advenit modus contrarius. Item, quia modus ineſt contractui: nec pactum a contractu ſeparatum inducit: ut ſi vendo tibi domum, ut facias hoc, non ſunt duo contractus diverſi, & ſeparati, ſed unus: ergo quando modus eſt contrarius matrimonio, habet in ipſo ſui initio, contractus matrim. vitium. Tandem: quia obligari ad aliquid contra ſubſtantiam, & bona matrim. tollit eſſentiam matrim. (ut dixi lib. 2. diſp. 29. num. 12.) ſed contrahens ſub modo obligatur ad illum modum ſervandum: ergo obligatur ad aliquid repugnans eſſentiæ matrim. quando is modus eſt eſſentiæ contrarius, & conſequenter annullabitur matrim. Et ita hanc ſent. tenent *Franciſcus Aretin. l. 1. §. Sed ſi mihi, num. 4. ff. de verb. obl. Decius auth. Ingreſſi, num. 23. C. de ſacroſ. Eccleſ. Palud. 4. d. 29. q. 2. art. 3. concl. 1. num. 16. & concl. 4. num. 19. D. Anton. 2. p. tit. 1. c. 19. §. paulo poſt principium, Angel. Matrimonium 3. imped. 3. fine, Sylv. Matrimonium 3. q. 12. Nav. ſum. c. 22. n. 62. Covar.* cum aliis, quos refert *4. decret. 2. p. c. 3. §. 1. n. 8. & 17. Greg. Lop. l. 5. verb. Aquellas, t. 4. p. 4.*

6 Nec placet diſtinctio *Lud. Lop. 2. p. inſtruct. novi mater. de matr. c. 42. paulo poſt princ.* ubi hac diſtinctione nititur utramque ſent. ad concordiam redigere, ut ſcilicet modus contrarius ſubſtantiæ matrimonii non vitiet, quando apponitur ut cauſa impulſiva, ſecus ſi apponitur, ut per illum inducatur obligatio ad ejus obſervantiam. Diſplicet (inquam) quia ſemper ea eſt modi natura ut contractum minime ſuſpendat, verum alter recipiens ſub modo, tenetur illum obſervare: ut dixi num. 4.

7 II. Concluſio. Si modus ſit impoſſibilis, verbi gratia, Contraho tecum, ut digito cœlum tangas, valet omnino matrimonium rejecto modo, & ſimiliter ſi ſit turpis. Probatur, quia ſimilis conditio tamquam impoſſibilis, & incitans ad peccandum rejicitur a matrimonio, per *c. fin. de condit. appoſ.* ergo a fortiori rejicietur modus impoſſibilis, & turpis qui incitat ad peccandum: cum hic non ſuſpendat contractum, ſed adveniat contractui jam perfecto. Et confirmatur, quia in aliis contractibus, ubi conditio impoſſibilis vitiat, modus impoſſibilis non vitiat, ſed rejicitur, ac ſi appoſitus non eſſet. Ut cum multis per eum citatis docet *Molina l. 2. de primogenitis, c. 12. num. 42.* dicens, ab omnibus eſſe receptum: & *Padilla l. Cum donationis, nu. 8. C. de tranſaction. P. Molina tom. 1. de juſt. tract. 2. diſp. 208. §. Modus impoſſibilis*: quamvis contrarium velit probare *Sarmiento lib. 2. ſelect. cap. 3. nu. 7. & ſeqq.* ergo a fortiori in matrimon. ubi conditio impoſſibilis rejicitur, rejicietur & modus. Sic *Palud. 4. diſt. 29. quæſt. 2. art. 3. concl. 7. num. 22. D. Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 19. §. 5. in princ. Angel. Matrimonium 3. imped. 3. fin. Sylveſt. Matrimonium 3. q. 12.*

III. Concluſio. Si modus eſt neceſſarius, ut Contraho tecum ut moriaris, habetur ſtatim pro impleto, ut de conditione neceſſaria ſupra docuimus. Sic *Palud. D. Anton. Angel. & Sylv.* ubi in concl. præced. eos retuli. 8

IV. Concluſio, Si modus ſit honeſtus & poſſibilis, non ſuſpendit matrim. ſed ſtatim eſt validum. Ratio eſt, quia natura modi eſt, ut non ſuſpendat, *l. Cum ab eo, 41. ff. de contrah. emp.* Sic *Palud. D. Anton. Angel. Sylv. in concluſione 2. citati Sotus 4. d. 29. q. 2. art. 1. concl. 1. Lud. Lop. 2. p. inſtruct. novi materia de matrim. c. 42. paulo poſt princ.* Quare dicendum eſt, ſi modus ille honeſtus, & poſſibilis cedat in apponentis favorem, ut Contraho tecum, ut des mihi centum: valeret ſtatim matrim. at alter tenebitur modum adimplere: ſi vero modus ſit gratia tantum alterius contrahentis, ut Contraho tecum cum decem libris, ut habeas unde emas tibi fundum, ad nihil teneri. Ut habetur expreſſe, *l. Titio centum, 70. in princ. ff. de condit. & demonſt.* Sic *Paludan. D. Antonin. Sylveſt. Angel. concl. 2. cit.* 9

Hinc fit, minus bene *Hoſt. c. De illis, ad fin. de cond. appoſ. & ibi Jo: Andr. n 3. init.* ſic diſtinguere, ſi modus non pendeat ex arbitrio & voluntate tertii, non ſuſpendit, ut Contraho tecum, ut des centum: ſi autem pendeat, ſuſpendit, ut Contraho tecum, ut patri placeat. Quare merito hanc diſtinctionem rejiciunt, dicentes in neutro caſu ſuſpendere, *Calderinus eod. c. De illis, ubi Anchar. n. 1. Alex. de Nevo, n. 10. & 11. Præpoſ. num. 4.* 10

Ultima Concl. Si ſponſalia contrahantur in diem, ut Contraham tecum, ab hinc uno anno, quamvis non obligent ad contrahendum ante anni lapſum, at non ſuſpenduntur, ſed ſtatim ſunt pura, & obligant. Quia quamvis dies habens annexam tacitam conditionem voluntariam, quæ poteſt adjici, & non adjici, ſuſpendat obligationem, ut in legato annuo, in quo virtute plura legata continentur, *l. Senatus, §. fin. ff. de donat. cauſ. mortis*, primi anni legatum eſt purum, ſequentium autem conditionale. Ut notat *ibi gloſſ. verb. Multa per l. Si in ſingulos, ff. de annis legatis*: perinde, n. eſt ac legare quodlibet anno, ſi legatarius vixerit: unde obligatio 2. anni non cedit ante primam diem 2. anni. Quia conditio tacita, Si vixerit legatarius, ſuſpendit. Unde non tranſmittitur legatum illud ad legatarii hæredes, poterat enim legare teſtator illi, & hæredibus: & proinde conditio, Si vixerit legatarius, fuit voluntaria. At ſecus eſt ubi ea conditio eſt omnino neceſſaria, ut contingit in matrimonio, & ſponſalibus, ubi conditio, Si vixerit, eſt omnino neceſſaria, & tacite neceſſario, intelligitur, & ideo non reddit actum conditionalem. Præterea, quia id quod in diem ſtipulamus, ſtatim quidem debetur quamvis ante diem illam exigi nequeat. Et ita docet *Paludanus 4. diſt. 29. q. 2. art. 4. num. 24.* 11

Ad argum. propoſitum n. 4. ad probandum modum contrarium ſubſtantiæ matrimonii, non vitiare, reſpondetur, quando modus non contrariatur, repugnatque ipſi actui, tunc non vitiare, nec ſuſpendere, ſed accidere actui perfecto: at quando repugnat, cum implicet repugnantia ipſius actus valori, & perfectioni, vitiari. Ad confirm. dic, non pertinere ad naturam contractus, quando ipſi non repugnat. 12